

1084

2113. 11. 17. 1700

Q. D. B. V!

Decreto & Autoritate

Magnifici Fctorum Ordinis  
In celeberrimâ & ad invidiam usq; inclytâ  
Academîa Electorali VVittenbergenfi

# FIDUCIAM MA- GISTRATUS

ex L. 32. ff. de Injur.

vel:

Den ungerechten Obrigkeit-  
lichen Ampts = Grob :

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII MICHAELIS HEBERI,

J. U. D. & Prof. Publ. Collegiorumq; Juridicorum,

qvæ ibidem sunt, Assessoris, &c.

PRO LICENTIA

Summos in utrôq; Jure honores & Privilegia

Doctoralia ritè consequendi

publicè delineat

Johann Gottfried Bütner /

Lauchâ-Thuringus, Summi, qvod Saxo-Vinariæ est,

Regiminis Advocatus Ordinarius,

Ad D. XVIII. Decembr. A. M. D. C. LXXXIV.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.



DEO ASPIRANTE!

Prooemium



Qvod de Belgis Turcicus Imperator in Epistolâ quâdam prædicasse legitur, cum ipsos nominaret, Gleichmachere aller Verrichtungen der Nazarenischen Völcker † (a) Idem, Lector benevole, in

genere de Magistratu, & quolibet Christiano, fungente imprimis judicandi munere, si quis dici posse, vel debere existimet à verò minimè aberrabit. Nam præclarissimè certè hoc Magistratui consecratur elogium, quippe quo conservandæ Pacis & Tranquillatis, nec non Justitiæ administrandæ commodissimè admonentur. Utinam in hoc omnes debitam curam ponerent, & cum Aristide (b) non videri ac nominari, sed reverà esse vellent Concordiæ & Justitiæ studio justis & æqui boni! Sed proh dolor! Novem ubi sunt? Pauci sanè rarique, pessimò hòc seculò, operam locant Concordiæ, Justitiæ & Æquitati. Ita scilicet Justitia à multis si non avaris, nimum tamen FIDUCIA MAGISTRATUS licentiosis & Affectibus suis indulgentibus profuitur, qui tamen eam quàm maximè colendam atque tuendam profitentur, ut inde cum Ulysse conqveri

A 2

plu-

- a) Petrus Valckenier im ersten Theil des verwirreten Europa fol. 34 fac. b.
- b) Teste Plut. in Aristide, ubi ob insignem justitiam Græcorum Felicitas est dictus, & quæ eum tulit, ætas aurea appellata. Reusner. Hort. Hist. Pol. coron. 1. fl. 8.



plurimos audias: *difficilem sub injusto iudice se fovisse causam* (c) Vel cum Lauterbeckio verbis Psalmistæ Psal. 58. exclamare intelligas: *Seyd ihr denn stum / daß ihr nicht reden wolt was recht ist / und richten was gleich ist* etc. (d) Quapropter magis *Krumm* quam *Gleich* Machere / dici merentur, quos in optimè quadret imago illa Belgica, (e) ubi cultrarius malè vestitus ex falcibus cudit cultellos reftos, ideoqve conqveritur.

*Das Krumm wolt ich gern machen schlecht!*

*Und blieb daher ein armer Knecht!*

Alius verò purpurâ indutus ex cultellis rectis falces incurvat, dicens:

*Das Rechte kan ich krumm machen!*

*Und trage deswegen roth Scharlacken.*

De hujus farinae avaris, licentiosis & præsumtuosis, imò injuriosis Magistratibus, tanquam omnium malorum in Republ. causâ (f) plura fandi expressa verba *Legis 32. ff. de INJURIIS* materiam suppeditant: ex qua Lege etiam rubrica disputationis nostræ desumpta est: Ad rem ipsam itaqve nos conferimus citra ambages, & perfectam ordinis compagine, utpote, quas festinatio, temporisqve urgentissima, quâ coarctati sumus, angustia non admittit, sed summam potius maturandi injungit necessitatem. Hoc sal-

(c) Anton. Hering. de Fidejuss. cap. 26. n. 25.

(d) Lauterb. Regentenbuch / part. 5. cap. 1. fol. 170.

(e) D. Bakius in Comm. Psalt. in Ps. 58. p. m. 79. fac. b.

(f) Teste Klookio Tr. de Contribut. cap. 18. n. 294. ibi, *Certè si nostri temporis mores inspicimus, hæc ferè omnium malorum in Republica causa est, quod qui rebus administrandis præsumunt, immodicè habendi cupiditate accensi opes undiq, corradunt & auctoritate publicâ ad suum compendium abutuntur & inclementius gerunt. n. 324.*

saltem addimus, quod nobis, ex more, & jussu Superiorum ingenio vires qualescunq; periclitaturis & pingvi Minerâ hûc facientia raptim collecturis, quem spectamus finis scopusqve bonus propositus sit, nec non laudabilis, irreprehensibilisqve; desuper protestando, Deiq; auxilium devotè invocando, juxta & Benevoli Lectoris veniam decenter desiderando.

## CAPUTI.

continet

*Sedem, sensum & descriptionem  
argumenti nostri.*

§. I.

**N**Ee Magistratibus licet aliquid injuriosè facere. Si quid igitur per injuriam fecerit Magistratus, vel quasi privatus, vel **FIDUCIA MAGISTRATUS**, injuriarum poterit conveniri *L. 32. ff. de Injuriis.*

§. 2. **FIDUCIAM MAGISTRATUS** delineaturi de Ety-mologia & homonymiâ, utpote de re satis aliâ obvia, & ex præmissis ipsius Legis verbis clarâ aperta qve, non multum laboramus, modò sciamus in genere, sub hoc denotari titulo à nobis omne id, quò quis, cujus tamen officium erat, juxta loqui, recta judicare & vera tueri, alios, in specie subjectos, calumnia quocunqve passim modò premit & injustitiâ: vel ubi quis publico officio & potestate concessâ licentiosè & iniquè vel injuriosè fungendo conscientiam suam onerat, aliosqve lædit. dum non facit,

quod justius & melius est, (1) sed ex abrupto agit, pro libidine, & auctoritatis affectione vel voluntate: *Hac volo, sic jubeo*, vel per *filianciam* (2.)

§. 3. Exinde itaque patet, non in bonam, sed malam partem FIDUCIAM MAGISTRATUS à nobis hic loci sumi.

§. 4. Illo enim modo sensuque bono, rectè agendo Deus confidit securissime magistratus, neminemque prorsus timeret, si vel maxime fractus etiam illabatur orbis, *impavidum ferient ruinae*. Deus enim est, qui per Magistratus Rempubl. gubernat, Leges ac jura sancit, rebelles punit & probos protegit.

§. 5. Talis fiducia est quasi caput Gorgonis, cujus obiectu nullus adversariorum hiscere, vel tentare quid audebit. Id quod optimè intellexit Imp. Fridericus, cujus symbolum & fiduciam quinque Vocales representabant. A. E. I. O. U. Aquila Electa Justè Omnia Vincit. De Henrico IV. Imper. etiam legitur, cum filius ipsius, Henricus V. Imperatoriam coronam, sceptrum gladiumque jam tum accepisset & jam misisset, qui Paludamenta & cætera Imperatoria ornamenta omnia ipsi auferrent, quod tantis in angustiis ipsemet se hisce ornamentis Cæsareis induerit, dicendo: Deus, qui talia mihi dedit, talia mihi & potest conservare. Megalander Lutherus dicere amavit: *Es gehet übel zu / darüm sollen wir heute fröhlich seyn*: Nimirum quod res nostræ videntur periculosiores magisque adversæ, eò decet esse confidentiores (3.) Quia sic fidentes Deus nescit deseruisse.

§. 6. Sed hanc fiduciam, huncque magistratum suo loco relinquinus honestissimo, justissimo: rem saltem habentes cum illis, qui potestate concessa inique utuntur, sequè illicitè gerunt erga alios, in quos omnes omnia, sub pretextu officii pro Auctoritate sibi licere putant, juxta illud: *filibes, licet! sit pro ratione voluntas*.

§. 7. Ne autem confisi proprio cerebro vel legibus saltem civilibus (lex enim nostra supra §. 1. adducta expresse sic lo-

(1.) In parili sic loquitur L. 14 & Authent. C. de Jud.

(2.) Klock. de Contr. cap. 18. n. 19.

(3.) vid. Mathef. in Syrac. cap. X 31. ibi: *Trotze auff dein Umbt-*

quiritur, Item L. si quid in obscuro &c. ff. de liberali. causa) nixi videamur, adhibebimus in consilium & pro stabiliendâ thesi Regem sanctissimum & sapientissimum Salomonem, cujus sapientia à Deo coelitus impetrata, (1.) cujusque (ut vulgatum illud: *minuit presentia famam*: invertam cum Regina de Saba) (2.) *vincit presentia famam*: Sic autem sapientissimus loquitur (3.) *si spiritus Dominantis ascenderit contra te*. In quem locum commentatus est Geierus, cujus verba, utpote apprimè huc facientia & cedro dignissima, transcribere non pigrabimur: *Spiritus h. l. idem est ac iracunda animi commotio, vehementer contra alium instar turbinis tumultuans, strepens, minitans &c. subjectum hujus iracundi spiritus appellatur DOMINANS (à quo Ebraico vocabulo citra dubium proficiscitur illud Germanicum Mauschel / quo per contemptum appellamus Judæos, vocabulo Moschel (Domine) frequentius fortè olim utentes: quod participium sepius nominaliter usurpatur pro magistratu quovis gubernantes. Hinc illud Prov. XXIII. si comederis cum Moschel / ie. cum superiore quodam. Quapropter & hoc loco intelligitur qui vivis superior in dignitate constitutus, qui irascitur, non quidem irâ officii legitimâ ob tuum delictum, sed qui indignè tibi succenset vel ex invidiâ ob majorem, quam in te deprehendit prudentiam, aut ingenii promptitudinem, præ seipso vel ob salutaria tua monita, quæ non sunt ad ipsius placitum, vel ex stultò fastu vel ob falsas aliorum de te calumnias & quæ sunt ejus generis alia, ASCENDERIT) id est, insensus Dominantis anitus palam se prodat vultu, distis factive, hostiliter invadendo. Animi motus enim ex corde dicuntur ascendere, ad vultum nempe, linguamve, quæ oratione situs cordis superiora sunt &c. (4.)*

§. 8. Egregiis hisce verbis, quæ in præsentî nobis liceat facere propria, inhæremus meritò, & de mente sensuve argumenti nostri adjicere quid ulterius superfedemus. Nisi quod & hoc moneri possit quærite, an ne tales magistratus & domi-

nan.

(1.) 1. Reg. 4. v. 29. 2. Psal. 9. v. 22.

(2.) 1. Reg. 10.

(3.) Ecclesiast. cap. 10. v. 4.

(4.) Mart. Geierus Comment. in Cohel. b. cap. 10. v. 4. p. m. 366.

nantes iniqui & honore & nomine sint indigni, potiusque juxta legem nostram privati dicendi, ne quid darius dicamus, quippe cum Deus per Hoseam expressè dicat ( 1. ) *tales non regnare ex ipso*, Deo scilicet. Hoc verò absit! Lex licet nostra *quasi privatos* tales magistratus tractare jubeat & permittat: minimè tamen id teli quis inde in Magistratum vibrare & audeat dicere, quasi injustior & licentiosior magistratus à Deo non sit, neque pro tali habendus. Hoc, inquam, absit. Nam sacra dicit pagina citra limitationem, quod non sit potestas, nisi à Deo ( 2. ) neque magistratus descriptio alia admittenda, quam quæ divinam magistratus ordinationem illibatam præsupponit & subinnuit, sive abstractè, sive concretè consideretur.

§. 9. Priori modo est potestas à Deo ordinata, certis hominibus delegata non solum armis decorata, sed etiam Legibus armata, ( 3. ) ut sit utriusque tabulæ decalogi custos ad communem tranquillitatem, Vel: est officium publicum per certas personas administrandum juxta potestatis concessæ mensuram & legum præscriptum.

§. 10. Posteriori modo, vel in concretò consideratus magistratus est persona divinitus ordinata ad boni defensionem & mali prohibitionem; vel. Est persona in ordinario officio constituta & potestate in subditos instructa.

§. 11. Sive itaque pium justumque, sive injustum & iniquum velis intelligere magistratum, tam in abstractò, quam in concreto consideratum; Dei tamen providentiam tantum abest, ut excludamus, ut potius expressè ponamus, & Deum concurrentem concludamus. Nimirum licet acquisitio & administratio quoad homines sit injustissima sæpè, quando illegitimis mediis vel per Genitivum, vel per Dativum &c. ad Magistratus officium evehuntur indignissimi; qui etiam quodvis, quod, libet, fidu-

( 1. ) *Hosea 8. v. 4.*

( 2. ) *Epist. ad Rom. c. 13. v. 1.*

( 3. ) *Proem. Inst. Jur Civil.*

ducia hujus potestatis licere putant; Nihilominus tamen id sine Dei providentiâ non contingit ( 1 )

§. 12. Hanc distinctionem & supra allegati Loci Hoseæ conciliationem egregiè illustrat augustissimus Pater Augustinus. *Non tribuimus*, inquit, *dandi imperii potestatem, nisi vero Deo: qui dat felicitatem in regno Cælorum sales piis, regnum verò terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* Infra: *Qui dedit Mario, ipse quoque Casari? qui Augusto ipse & Neroni, qui Vespasiano vel Patri vel filio, suavisimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano ipse Apostata Juliano.* Imò de hæc quæstione: an legitimè imperia nactus sit Magistratus, non esse disputandum sed cogitandum non venisse eò casu sed singulari Dei providentiâ eò ordinatum, volunt Theologi, ne si de Magistratus legalitate judicium sibi sumat subditus, seditiones & mala plurima sequantur. ( 2 )

§. 13. Addimus, quod & abstrusioris sit indaginis dicta quæstio, ita ut in punctò legitimæ vocationis Theologus non infimæ existimationis in hæc erumpens verba conquestus sit, quod in aliis scripturæ Articulis optimè sibi constet, sed in Articulo de Vocatione adhuc sit dubius, unde debeat cognoscere *Deum vocantem?* ( 3 )

§. 14. Ob id autem punctus Vocationis minimè negligendus est, quæsi videlicet unum sit idemque, an mediis licitis, an illicitis & inhonestis quis ad officium publicum perveniat, sicut fortè illi, qui per scortationem in conjugii incidunt necessitatem, ab omnibus postea per omnia pro Conjugibus habeantur, quò simili se quidam fertur consolatus. Verum enim verò

B quid

( 1 ) *D. Jacob Wellerus in Annot. in Ep. ad Rom. c. 13. v. 1. p. m. 683. ubi ἐξῆς commodius iniquorum hominum licentiam quis verteret, quam potestatem. Illa non procedit à Dei suffragio, sed ipsa Principatus dispensatio.*

( 2 ) *Vid. Wellerus cit. loc. p. m. 684.*

( 3 ) *Vide sis Schuppil Abgenöthigte Ehren, Rettungs-Schriefft/ p. m. 642.*

quid solatii firmi inde tempore tribulationis proficisci possit, nulli videmus, qualis quippe vocatio, talis successus.

§. 15. Redit itaque res eò, quod finis ordinarius cum finibus illicitis bene possit consistere, neque ille ab his, tanquam accidentariis evertatur vel excludatur. Neque Vocatio per causas procurantes vitatur. Positò enim quod quædam Vocatio ex intentione causæ efficientis & finalis occultæ vel secundum quid non sit divina & legitima; Potest tamen legitima esse secundum directum & finem evidentem, ut illesemè loquitur Dedeken. in Consil. in exemplo Pastoris translocandi, cujus translocatio magis pœnosa, quàm gratiosa videbatur.

§. 16. Sed ad rem & præsens argumentum, unde longiusculè digredi vel dilabi velle ne videamur, redimus, & ratione *subiecti nostri Activi*, i. e. magistratus sive Dominantis & Superioris strictim quædam recensemus distinctiones: Nimirum hæ sunt vel Ecclesiastici, vel Politici; vel Togati, vel Sagati, vel summi, medii, vel inferiores. Quemadmodum enim variis constat membris Corpus Physicum, singulis ad certas actiones destinatis: Ita certè æquè minus Corpus Mysticum, Republicæ, vel Principatus adminiculis & ministris variis, exequendo Leges, & belli pacisque, sacrorum ac profanorum administrationem gerendo, propter negotiorum varietatem & curarum multitudinem carere potest. Quis enim Principi per alios, quod ipse expedire nequit, facultatem agendi negaret, quippe quæ fluat ex ipsâ vi imperii summi que in omnia arbitrii.

§. 17. Magistratus correlatum & Republicæ, tanquam Corporis, membra partesque sunt propriè subditi. Pro re nata & casu præsentis etiam alios extra officium viventes, imò & hospites aliosque omnes, qui à Republ. lucrum sentire cupiunt, hæc loci optime intelligimus. Qui itidem inæquali in gradu variique generis sunt, quibus de in sequenti Capite specialiora veniunt tractanda.

CA

CAPUT II.

*Reddit subjectum tam Activum quàm Passivum per nonnulla specialiora explicatius. Item Objectum.*

§. 1.

DE summo Magistratu supra aliquoties facta est mentio, sed ante tales qui in Terris sub Summo summi sunt, neminemque præter Deum & enssem superiorem agnoscunt, hæc sub nostrâ lege, tanquam Regulâ generali veniant accipiendi, meritò dubitare, si non negare, licebit. Nullus equidem non ut putò affirmat, cuius magistratui incumbere, ut vitæ probitate, morum honestate, actionum gravitate & subditorum salute se suaque metiri & omnia secundum mensuram potestatis à Deo Lege & homine concessæ, & juxta tramites juris & æquitatis mensurare debet. (1)

§. 2. Neque quis ibit negatum, vitia in illustri loco posita conspici citius graviusque exaggerari. Sic enim Poëta canit (2) Omne eximi vitium tantò conspectius in se, Crimen habet, quantò major qui peccat habetur Aut quis non asseret maximè, Maximos & summos Imperantes à maximis honoribus ita mutatos reddi solere, ut sæpius exclamandum: *quantum mutatus ab illo!* (3) Inter tot enim obsequia Fortunæ non satis cauta est mortalitas. Ipsa imperandi natura efficit sæpissimè alios ex defensoribus offensores, aus Schirm-Herrn / Sturm Herren (4) *Quid Neronis quinquennio præclarior? quid Tiberii principis*

B 2

110

(1) Carpz. l. 3. T. 8. def. Eccl. 9.

(2) Juvenal. satyra. 8.

(3) Virgilibus lib. 2. Anecd. p. 103.

(4) Speidel.

*moderatus? Hoc tamen confirmatis Imperii opibus & potentia nemo crudelior unquam, aut libidinum inaudita faeditate turpior extitit, dicente Bodino (1)*

§. 3. Veruntamen præter hoc quod inter Nunc & Tunc magna sit differentia & quod moderna rerum & Principatuum facies alia sit, aliosque mores postulet & alios ferat Principes, scimus, quod Universalis inde Regula non sit extruenda cum & tunc temporis exempla fuerint in contrarium. (2) Quocirca si vel maxime quandoque Maximi Principes hodiernum quid humani pateantur, minime tamen id propter nostræ hos subjacere legi & conventioni, putandum est. Quid? quod (licet verbis legum contra intempestivos monitores hic uti (3):) *stultus sit aut tanta superbia fastidio tumidus, qui hoc admonere vel querere velit.* Non intelligens, quod à Majestate & superiorem non recognoscente Magistratu ordinariè provocandi vel conveniendi nulla supersit licentia cum ipse sit, qui provocetur, cumque in terris Majestate majus aut sanctius quid non sit. Ponamus tamen, quod fuerint, qui eò impudentiæ pervenerint, ut conventiones & provocationes ab Imperatore instituerint; gravissimas inde poenas impositas, talesque Majestatis reos habitos simul ponamus necesse est. (4)

§. 4. Principum acta maturo consilio confici existimandum est: neque ullò modo Principem negligentiae incuriave licet insimulare per Actiones scilicet juris & expostulationes: Alias notum quod & summus magistratus simpliciter exlex non sit, sed Legibus licet positivis solutus, divinis tamen & Naturæ legibus est devinctus. Interim Digna vox est Majestate Regnantis, legibus alligatum se principem profiteri, exemplo Theodosii &

Va-

(1) Bodinus de Rebul. lib. 4. c. 1

(2) Tacitus Annal. lib. 10. id Testimonii perhibet Vespasiano, quod solus omnium ante se principum in melius mutatus sit Vespasianus. Vid. Reinkingk. Bibl. Policalii lib. 2. ax. 7. Idem lib. 2. ax. 203. ibi Piscis minor esca majoris: wer mächtig ist wird auch vermessen / groß Fisch allzeit die kleinen fressen.

(3) L. 1. §. 1. ff. de quibus appellare non licet L. 12. C. de LL.

(4) Vid. Eckoldus in ff. Tit. de quibus appell. non licet.

Valeriani Imp. in L. digna Vox C. de LL. & Constat. Princip. & 9. distinct. c. justum est. Videatur per totum D. Georg. Lauterbecius in Regentenbuch part. 2. cap. 9.

§. 5. Cum se Papa *αὐτοῦ Φαίλον καὶ αὐτοῦ πατριῶτα* constituat & Hierotryannidem exerceat (1) Imò qui se dicit Luminare majus in dominium diei: regalem vero Autoritatem esse Luminare minus in dominium noctis ideòque se tantò majorem & præstantiorem Imperatore ac regibus omnibus, quanto sol major est Luna & dies præstat nocti, (2) quis erit, qui diceret: Papa quid facis; Quid; quod vel Abbas ille dicere consueverit: *Monachorum est murmurare, sed Abbatis non curare.*

§. 6. Quid autem de reliquis clerici ordinis dicendum anno pertinet ad subjectum Activum vel ad Passivum? Ad Utrumque hos pertinere statuimus, sed diverso tempore & respectu. Quis enim sustinere velit acsi affectus pravi in profanis tantum, non etiam sacris hominibus dominarentur eosque extra scopum arriperent. Cur Salvator dicit de his: *Dicunt non faciunt.* Cur in scripturâ sacrâ contra clericalem ordinem sumptuosiores & acerbiores sanctitas legimus ordinationes. (3) *Φιλῶδες γένος* & *τὸ μανθικὸν γένος* dicit ex proverbio Monzambano (4) additque: *mirum est, eos qui placidissimam religionis Christianæ mansuetudinem aliis inculcant, tam horridis scateant affectibus gestare animos &c. si quis ab ipsorum placitis abeat, præter injuriam sprete auctoritatis, impietatis quoque arguitur, tanquam qui contemptu veritatis cælestis, aut ex profanâ pertinaciâ errorem exuere dedignetur &c.*

§. 7. Nimirum mundi sunt, sed non omnes, & quis inter sanctos, qui non erret. Itaque ad subjectum Activum clericos quosdam, in quos §. 7. tendit, referimus, sed paucos: Exceptis excipiendis plurimis, præsertim Augustinæ Confessionis

B 3

addi-

(1) Strauchius Exot. Dissert. 5. p. n. 128.

(2) De intolerandâ Pontificali impudentiâ sic loquitur Petrus Ravanelius in Biblioth. sacr. sub. Voc. Luminare.

(3) Levit. 4. v. 3. & Levit. 21. v. 9.

(4) Monzambano de statu Imp. German.

additis: quos quia ut plurimum tangit Ministerio. Mastix, ut hinc Christus ipse de his dixerit: *Christos meos nolite tangere*: ita hos tantum non omnes ad subiectum passivum veritate haud invita censemus ponendos vel numerandos, uti inferius patebit pluribus.

§. 8. Hæc de *militibus Christi*, nunc de *militibus seculi*, ut sic ex jure Feudali loquar, (1.) paucis erit dicendum. Sane & inter hos sæpe est fiducia armorum & privilegiorum uti maxima ita maximæ etiam calamitatis initium (2.) Bellum enim sæpe quid aliud, quam grande latrocinium, interrogante Augustino (3.) vel ingens malorum pelagus, occupans, inundans, obruens universa, dicente Erasmo (4.) Hic enim & Leges & greges silere: imò Deus ipse tacere debet (5.) & omnia viro- rum fortium esse censetur. Proh! quam gravis est & quot ac- tiones & media concludendi invenit sæpe miles etiam grega- rius, *Zu Aufbringung einer Neuter Zehrung*. Ita ut ad malitiam militia rediisse, & scelus & vis inde nasci, unde salus & jus ex- pectari debeat, à multis dicatur. (6.)

§. 9. De BURG-MAGISTRIS jam non nulla ut dica- mus, ordo postulat, hos enim etiam huc pertinere extra dubi- tatio-

- (1.) 2. Feud. Tit. 21. *cujus verba finalia sunt: desit esse miles seculi, qui factus est miles Christi; nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.*
- (2.) *Nimia armorum fiducia maximæ calamitatis initium dixit Emilius Probus vid. Reink. Biblisch, Policen. ax. 144. l. 2.*
- (3.) *August. 4. de Civit. Dei cap. 6.*
- (4.) *vid. prolixè Lauterbecii Regent-Buch part. 3. cap. 1. fol. 71. 6.*
- (5.) *Maxima Pseudopolitici: Tacet Deus in Politicis: applicatur ad bellica & militaria à Reinkingk. Bibl. Pol. l. 2. ax. 38. pag. m. 272.*
- (6.) *vid. Klock. de Contributionibus cap. 17. n. 209. & seqq. Anton Hering. de Fidej. cap. 7. n. 162. Ubi familiarissima militia vi- tia vocantur latrocinium rapacitas, Concussio, rapto vi- vere &c.*

rationis aleam positum est. MAGISTRATUS vox sapius occur- rit in nostro discursu, & habet natales à *Magistrò* unde consu- les adhuc vocantur Magistri civium *Bürgermeister* qui civibus præfunt & aristocraticum regimen dirigunt. Hos vel maxime itaque tangi à lege nostrâ statuimus, quia vel ipsa vocabuli Na- tura & significatio id innuere videtur: & res ipsa sive veritas no- toria omnium calculis sic existit.

§. 10. Carpzovii, qui instar omnium est, jam utamur cal- culo: *Non raro (dicentis) super Justitiâ protractâ & denegatâ par- tes litigantes conqueri videmus. Nempe quia tales non semper sunt judices & magistratus, quales esse deberent. Communiter namq; hodie in oppidulis jurisdictionem exercent plebei & mecha- nici: quæ & in majoribus oppidis sapius juri regundo & litibus terminandis tyrones, terræ filii, Germanicè Pfeffer. Sâcte præsi- dantur, non sine gravi Reip. damno, ut non falso omnino dixerit, Justitiam administrari per boves & ignorantes. (1.)*

§. 11. Homo pispus est Drexelius, *cujus elegantia verba audiamus ipsissima: Prætor hic est, Consul Urbis est. Eho! specio- se si beda, pyxides venuste, veneranda nomina & pulchra vasa; aperti, aspice, & in iis nec conscientiam, nec scientiam, nec diligen- tiam invenies. O testas samias & pulchras, sed vacuas, Justitiæ larvas, non effigies veras!*

§. 12. Et quid non ridiculi referunt libelli anonymi nu- per editi, quod omne ex horum Burgi Magistrali finis FIDUCIA & arrogantia, quæ & per externa se satis prodit, dum *ceivon eo- conlaw* miris sæpe modis affectant, & nescio quid autoritatis im- pingvi etiam aqualiculo quærent, utpote quem, eunde substantia Burgi Magistrati, ex statuti præscripto alicubi meminî re- quiri. (3.)

§. 13.

- (1.) *Carpz. lib. 2. T. 5. Resp. 64.*
- (2.) *Drexel. in Salomon. cap. 12. §. 7.*
- (3.) *Causam hujus Statuti, ut & illius Erfordie, ubi nemo, cui Petrus nomen, in senatum, teste Zeilero admittitur, non sa- tis assere & penetrare valeo.*



§. 13. Etsi quidem Carpozovius (1) in oppido senatum Ambtsasium non propriè dici Magistratum asserat: Idem tamen, ut & magistratus tutelares, in tantum de nostro subjecto. Activò participant in quantum notissimi illi versiculi quos Gothæ in Curia legisse refert Lauterb. Reg. Buch part. 4. c. 5. de ipsis dici possunt:

Wo der Bürgermeister schenckt Wein  
Und die Messger mit im Rathe seyn  
Und der Becker selbst wiegt das Brod/  
Dannuß die Justiz leiden Noth!

His certè viris vile est decus publicum horumque primus tantum scit, quantum sequens, quis itaque feros esse negaret, cum Literatura mores emolliat nec sinat feros esse.

§. 14. Quæstio de HEIMBURGIS hic non prætereunda: cum & hi vices scultetorum & officialium in pagis gerant, judicante sic Senatu Appellat: (2.) sunt enim ceu Delegati considerandi, qui exercent jurisdictionem (3.) & concessam potestatem (4.) quâ tamen sæpius abutuntur satis imperiosè, quod & nomen ferè indicat, & omen sive ingenium horum indigitat. (5)

§. 15.

(1.) Carpz. lib. 1. T. 3. def. Eccles. 29.

(2.) Carpz. lib. 1. T. 10. Resp. 99. vid. Carpz. idem lib. 2. def. Conf. 370. n. 4. & Ordinat. Ecclesiast. artic. general. 36. §. fin. ubi de redemptione subfelliorum privatim, non publicas compescente specificè differitur.

(3.) arg. L. 1. ff. officio ejus, cui mandata est jur.

(4.) Bochnähigkeit ist nicht flugs Gerichtsbarkeit.

(5.) De pomposis Natalibus vocis Schulz. sic loquitur Geierus Comment. in Eccles. cap. 5. v. 18. ibi: Cui DEUS copiam comedendi fecit ex illis i. e. cui DEUS præter divitias largitus est animum, ut ipse imperare queat divitiis, non verò Mammon ipsi, ceu sordido mancipio dominetur. Tale enim imperium pulchrè in Ebraeo denotatur, cui suam quoque debet originem illud Orient. Sultan & German: Schulze nisi id propius accedat ad illud Germanicum: Schuldheiß h. e. qui exigit debita.

§. 15. Neminem itaque officium publicum aliave concessa potestas excusare valet ab excessu fiduciâ potestatis commissò, quippe qui officii limites transgreditur & extra Vocationis & Potestatis orbitam vagatur, indignum se facit ejus titulò & protectione, & quasi depositò caractere transit in numerum privatorem & ab his propriâ auctoritate & extra judicialiter vi procedendo à privato non differt. L. injur. §. 1. & L. nec magistr. ff. de injuriis Klock. de Contrib. c. 18. n. 109.

§. 16. Hæc, de potestatis publicæ subjecto dicta, si quis extendat ad privatam quoque potestatem nimirum ad domesticam, patriam, ubi pater ἀστυς: ad maritalem, ubi maritus σείων: & herilem ubi maior asperitas & crudelitas intolerabilis: (1.) addo & ad administracoram (2.) nullus sanè errabit.

§. 17. Restat ut adhuc de SUBJECTO PASSIVO quædam annectamus, quod brevibus expediemus. Nam postquam vidimus de subjecto Activo & satis dispeximus, simul penè intelligimus Subjectum passivum. (3.) quippe quod, ex Naturâ corre-

C tati,

(1.) vid. Constit. in L. 1. & 2. ff. de his, qui sunt sui vel al. jur. in quam Constitutionem sic Schaberus in Colleg. Præf. §. 3: Sanctissima est dignissimaque, ut etiamnum quorumvis Prætoriorum valvis affigatur & omnium dominorum oculis exponatur. Etenim hodieque reperiuntur ejusmodi, qui famulos suos, ne dicam subditos suos & uxores pro muscibus habent, ut discant se penâ graviore dignos, parilique modo & mensurâ tractandos.

(2.) De malo Tutore, qui consumptò pupilli patrimonio urgebatur ad reddendas rationes refertur dixisse: Nil superest, hanc rationem accipite, aliam nescio: posteaque guttur tam superius, quam (liceat cum Plauto s. v. sic loqui) inferius, tanquam tabulas accepti & expensi demonstrasse. Lauterbeck. Regenten. Buch part. 4. c. 8. fol. 135. aliàs contra tutores ἀνελογιστες notanda L. 5. §. Julian. ff. admin. tut. item Klock. de Contribut. cap. 18. n. 223.

(3.) arg. L. 1. pr. ff. de his, qui sui vel alien. jur.

(o) 20  
tati, in mutuo consistit respectu. Nimirum nequaquam brutum & absolutum subjectum nostrum est, sed certo modo, id est, ex lege Divinâ, pietate, & conscientia libertate, ut & ex Legibus & conventionibus humanis limitatum & determinatum.

§. 19. Diversitas itaque subditorum & inferiorum bene est notanda, omniaque inde dijudicanda, & vel amplianda vel coarctanda; videlicet dispiciendum, *an subditi sint merè tales, servi, homines, proprii: an verò civiti, rustici, milites, pagani; an incolæ, accolæ, peregrini seu advena, forenses, nobiles vel plebei, Ecclesiastici, vel seculares &c.*

§. 20. His strictim recensitis circa ultimam §. præcedentis distinctionem tritam movere quæstionem juvat: An CLERICI sint etiam subjectionis objectum? quod omnino affirmandum, quippe qui non minus, quam alii cives, pars quædam societatis humanæ sunt, adeoque sub imperio & Magistratu continentur, salva tamen distinctione quoad realia & personalia, nec non inter jus ipsum & exequendi modum, uti nostrates Theologi ipsi loquuntur. (1.)

§. 21. Ratio hujus nostræ assertionis non est contra rationem neque obscura. Sicut enim omne membrum caput suum respicit sive physicum, sive Politicum; sic clericus vel Ecclesiastica persona etiam Magistratum politicum, tanquam caput respiciat necesse est. Neque peculiare, quod subditus aliquis gerit officium tollit vinculum universale, quò idem ipse civili societati obstrictus est, politicum.

§. 22. SERVORUM memoriam & iniecimus supra §. 19, non intelligentes vetera servitutis jura, quæ dudum sublata sunt apud Romanos, & in totâ Europâ desierunt pridem, quæque Germania nostra nunquam verè habuit: sed tale genus servorum intelligimus quos habet jam Germania & quos verè non dixeris servos, sed vel ho-

(1) Oleari Univ. Theol. Art. 127. p. 1011.

(o) 20  
homines proprios, *Zeitbeigne/ Kloster Leuthe; Königs. Leuthe &c* servos anonymos &c. (1)

§. 23. Quicumque itaque à superioribus injuriosè vel ex incuriâ & negligentia vel arrogantia nimiaque fiducia læduntur & offenduntur SIVE fiat *mediate SIVE immediate, SIVE verbis, SIVE factis, SIVE in corpore SIVE extra illud, SIVE in bonis & rebus nostris ipsis, SIVE in rerum accidentiis, SIVE in honore aut estimatione, SIVE alio* quocumque lædendi modo signòve, illi se defendere valent, imò debent. Ovicula enim nimis patiens agnos alit multos, sequè consumit; & quæso quis pastoris esse asseret non tondere sed deglubere? Ex dictamine itaque rationis & charitatis ordinatæ defensio, quæ ex jure Naturæ & Civili debetur amplectenda est. Expedi siquidem reipubl. ne suâ re quis malè utatur & reipubl. interest, ne imperitia culpæ & perversitas judicis impunita sit. Præclarissima itaque Imperatoris est sententia in Novel. 86. in fine: *Omne habendum esse studium, ne, qui debet vindicare, oppressum, ipsum opprimere reperiatur.*

### CAPUT. III.

## Suppediat modos, casusque non-nullos, sive exempla.

§. 1.

PRO pleniori mentis explicatione non parum faciet, si modos saltem aliquos & exempla proponamus, & fiduciam potestatis in

C 2

spe-

- (1) De servorum generibus: quando servi in usu esse desierint. Item: Utrum expediat Reipubl. Christiana antiquum servitutis jus in usum revocare? &c. vid: Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 5. Busbequ. Epist. 3. Turc. leg. Liebenthal colleg. polit. Exerc. 3. tb. 41. Walter Jhesus Harnoni Post. Theol. jurid. Domin. 3. post. Epiphani. Theatrum Polit. tripart. M. Reinh. Königs ci. p. 1. L. 1. S. 1. ff. qui sui vel alien. juris L. 32. ff. de R. J. Bernegger. ad Tacit. Zafius. lib. 1. sing. Resp. c. 3. n. 36. Herm. Stammer de serv. pers. lib. 1. T. 1. c. 2. Mey. ad Jus lub. lib. 3. T. 8. art. 7. n. 7.

speciè ostendamus : sic reliqui infiniti ferè modi alii casusque facile cognoscentur & dijudicabuntur videlicet sicut Voluntas non tam verbis, quàm factis declaratur (1) Ita fiducia potestatis variè se exerit tam in verbis, quàm in factis signisve.

§. 2. Si evolvimus Commentarios in T. ff. de injuriis varios à variis relatis modos legimus, quibus *Injuria vel fiducia* (: promiscue ob summam affinitatem hæc vocabula jam ponimus : ) committitur, proinde illuc nos referimus, in præsentem modos modò dubitabiles quosdam indicantes.

§. 3. Primo ita què loco ponimus **PRECES** vel intercessionem Superioris : nimirum ita, si potentior, ne **FIDUCIA POTESTATIS** quid agere velle videatur, petat, enim tamen possit cogere, si velit ? An dici & conveniri potest, quasi qui *fiduciam magistratus* quid exegerit & inferiorem læserit ? Affirmamus tutò, quia potentiores sciunt, ipsorum preces armatas & vi mixtas esse, quibus inferior contradicere nequit ob potentioris potentiam necessitati vicinissimam : quod & proverb. indicat : si potentior rogat, imperat. (2) Quàm tectè & prudenter id ipsum *Æolus* observat, ad Junonem supplicem dicens.

Tuus, ô Regina, quod optas.

Explorare labor est, mihi jussa capessere fas est. (3)

Quod & emphaticè propriò exemplò edoctus docet Cicero : non tam (inquiens) *γόνισιαν* hujus timeo, quàm *πυθωνίαν*. (4)

§. 4. Huic

(1) Carpz. part. 3. C. 26. d. 3.

(2) Quid facerem ? (: sic alicubi legere memini de ex-cuantese : ) jussum erat quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat. Lex etiam clara est, L. 1. C. ne liceat potentior patroc. lit. præf. ibi : Interest in universum omnium, & præcipuè tenuiorum, qui sæpe importunis potentium intercessionibus opprimuntur, &c.

(3) Virgil lib. 1. Æn. quem locum *πυθωνίαν* vertit & illustrat Reinking. Bibl. Pol. lib. 2. ax. 69. p. 366.

(4) Cicero lib. 9. Epistol. ad Attic. 16. De mente potentioris minus elemente elegans exemplum in Tacito lib. 3. Annal. It. Macrobr. 2. satur. cap. 7.

§. 4. Huic affine genus *fiduciæ potestatis* peccandi etiam **NUTUS** esse potest, cum potentior cum inferiore, ne verbis quidem agendum, sed nutibus, quid velit innuendum : inferior autem sic, ut ajunt, ad nutum parendum putat ; Sic tradunt de Clerico ad ægrotum vocatò, quod ille veniens & ægrotum omnis penè sensus expertem vel in faucibus mortis constitutum, mortuo similem, videns ad quæstionem de relinquendo sibi legato nutu responderi fecerit ; Potest enim & nutu relinquere fidei commissum licet hæres sic institui nequeat. (2)

§. 5. Diodorus Siculus refert, quod Sesostris in terris bellò acquisitis cippos læxerit, sic inscriptos : Hanc provinciam armis suis pervicit Sesostris Rex Regum & Dominus Dominorum, inque cippis illis pudendum vel viri apud gentes pugnares, vel foeminae exprimi, curavit, animorum in singulis affectionem posteris evidentissimam sic fore ratus. (3)

§. 6. Sed quid foedius, quàm in loco publico corporis partes, quas sine pudore appellare non possumus, & quas tegi verecundiæ publicæ interest, turpiter ostentare & victorum miseriam tam pudendis & ignominiosis signis testatorem facere. Nunquam Populum Romanum hostibus domitis victoriam exprobrasse, scriptis celebratur ut insigne generositatis encomium (4) Moderatione nempe opus est. Etiam ubi justitia causæ hoc exigit, sæpe tamen convenit bonitati, convenit modestiæ, convenit animo excelso, ut moderatè agatur. (5)

§ 3

§. 7. Ad

(1) Vid. Ravanell in biblioth. sacr. & loc. Proverb. 6. 13. & c. 10. X0. 10. Item Johann Calvini Lexic. Juridic sub voce Nutus : ibi Cum summam potentiam ascribimus, ejus nutu ac renutu omnia geri dicimus : & multum est verbò efficere, quid velis, at plus est idem officere nutu ac renutu. &c.

(2) L. nutu ff. de Legat. 3. L. jubemus C. de Testam.

(3) Referente Piccarto Observ. Histor. po. Decad. 4. c. 12. p. 212.

(4) L. Florus & cum hoc Piccart. cit. loc.

(5) Hugo Grot. d. J. B. & P. lib. 3. c. 11. 7. De jure Victoris in victos vid. Alber. Gentil. de jure belli lib. 3. c. 2. & seqq.

§. 7. Ad modos, ubi fiducia potestatis exceditur, connumeramus quoque, ubi privatas injurias Magistratus vindicat, quod & Politici inter flagitia Dominationis referunt, & contra boni magistratus officium esse, expressè scribunt. (1)

§. 8. Privata namque injuriæ bono publico generosè sunt condonanda, exemplo Aristidis ad adversarium Themist. dicentis: *abjiciamus paulisper inimicitias nostras, recepturi, cum redierimus domum privati*: & exemplo Fabii, qui hac causa à Livio commendatur, quod Papyrioinimico: (qui Dictator creandus videbatur, ad quod autem opus erat Fabii consensu:) votum consensumque dederit. præclaro etiam exemplo est Ludovicus XII. dicens: *Injuria Duci Aurelianensium facta, quid ad regem Gallia.* (2)

§. 9. Sed ô rara incorruptæ probitatis & probæ Generositatis exempla, quàm multi ex parte contrariâ omnia debita, odia pravosque affectus eò differunt donec Regimine & magistratu ornati, eò plenius & liberius debita illiquida & ficta possint extorquere, suisque satisfacere affectibus. Sæpius certè evedti suis hi honoribus ad expilationem vel suppressionem aliorum abutuntur, & privatarum inimiciarum causâ reipubl. quàm maximè nocent, modò privato nocere possint inimico sapissimè innocenti; Tantùm abest, ut huic injuriam ab aliis fieri prohibeant, pressumque relevent, ut potius amplius premant strenuè, vel ingentia rei publicæ commoda parvulâ putativæ autoritatis jacturâ redimere prorsus detrectantes.

§. 10. Hinc quid frequentius, quàm Inquisitio in ore talis magistratus est, quàm contra quemcunque quâcunque levissimâ ex causâ & ad levem levis hominis suggestionem instituendam minitantur, vel ipsò factò etiam instituunt omnia ad pulvisculum excutiendò concutiendòque. (3)

§. 11. Si

- (1) Wolfgang Heider in *System. polit. c. 6. §. 6. p. m. 885. Omina scire, non omnia exequi Tacit. vit. Agric. c. 19.*
- (2) Fulgos. lib. 4. c. Clapmar lib. 5. c. 6.
- (3) Et contorquendo ad prætextum injuriæ fortè, quasi intuitu officii facta Carpz. Inquis. Proc. T. 2. Art. 1. n. 3. Id. Carpz. lib. 6. T. 9. Resp. 97.

§. 12. Sicut autem culpabilis est, neque ab ipso Principe laudatur, nimia præsidum diligentia, (1) Ita quàm maximè in re maximi momenti, nempe Fama proximi punibilis & damnabilis est nimia curiositas, inimicitia præsertim & invidia privatâ concurrente, vel incompetenti quâdam ratione jurisdictionis altæ vel bassæ. (2) Quod potentissimus Elector optimè animadvertit, sic lanciando: (2) *Positis certis requisitis specialis Inquisitionis præambulis: Denn sonst zu befürchten / daß ehrl. the unbescholtene Leuthe gar leichtlich durch dergleichen Proces geschimpffet / und an ihren ehrl. icken und wohlhergebrachten guten Nahmen benachtheiliget / auch denen Gerichts-Personen aus Privat-Affecten ihren Haß wider einen und den andern anzulassen genugsame Mittel gegeben wurde.*

§. 13. De militibus Christi & seculi, quorum §. 9. cap. 2. mentio facta est, nunc quædam adjicienda. Nempe & illi variis modis FIDUCIAM POTESTATIS & OFFICII possunt exercere: si nimirum negotiis secularibus se immisceant, (1) qualis erat Calvinus, qui judiciis publicis assedisse dicitur ob id vocatus: *Der Bürgermeisterliche Pfaffe zu Genff* (2) cum tamen absurdum clericis sit, imò etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium. (3)

§. 14. Sicut stulta est arrogancia & turpis confusio juris Patronatus cum juribus Episcopalibus in magistratibus secularibus, de quibus gravissimè conqueritur Carpzovius dicitque illos clericos, qui Patronum pro judice agnoscunt *in seipso & ordinem*

- (1) L. 6. fin. ff. de bonis Damnat.
- (2) Inquisitiones quippe concernunt publicum interessè, quò inquisitione observare debet Judex superior, non inferior. L. 1. pr. & §§. seqq. ff. de Offic. Praef. Urb. L. 3. & L. 13. ff. offic. praef. L. ita vulneratus si. estim. ff. ad L. Aquil. vid. Carpzov. P. Cr. Inquis. Pr. Tit. 2. Art. 1.
- (3) Ehrfl. Sächf. Pol. Ordn. de Ao. 1612. Tit. Justitiem Sachen.
- (2) Mathes. in Syrac. c. 33. cont. 28. fol. 228.
- (3) Sunt verba L. 41. C. de Epise. & Cler.

*animam suam injurios, imò adultores ventrem magis, quam conscientiam curantes, dum Patronis hoc modo palpum faciunt, ne offa ipsi pereat, (1) Ita turpis est Polypragmosyne, si in secularibus judicium & imperia sibi sumant clerici, vel sibi met imponi fiant; quò ipso fiduciam Officii nimis sæpè produnt. (2)*

§. 15. *Eqvidem absit, quasi ministros Ecclesiæ à rebus secularibus exclusos prorsus velimus! absit! Certè hæc non est alioquin episcopia, ubi nocitura reipublicæ vel principi, imprimis ratione conscientia cum Nathan (3) observant clerici, sive ubi exemplo Elisæ. (4) personæ pressæ & miserabili non tam succurrunt, quàm occurrunt: sive ubi cum Samuele (5) non obstant illò: Honora me coram populo, (6) vitia aulica publicè perstringunt. Non hæc inquam est Polypragmosyne, vel fiducia clericatus, sed justa officii executio. Res enim publica talis floret, ubi Moses & Aaron fratres florent (7)*

§. 16. *Absit modo ἔηλα αἰνήλα sive abusus officii Elenchitici, ubi convitium magis, quam officium faciunt: Observent tempus, tempori tamen non inservientes: quascunque papulas quovis tempore locove non tangant, cum vulnera quædam intempestivè curando majora fieri soleant. Neque docendo lites & quæstiones temerè serant, sic enim Mathes. in Syrac. c. 27. v. 3. Ein Priester so den Papisten nahe / soll nicht allen Dvarck und Disputation regen / gleich wie die Erste nicht alle*

(1) *Carpz. lib. 1. T. 2. def. Eccles. 20.*

(2) *Ratio Status nihil non immane per fiduciam clericatus effecit, quod multis probant exemplis Reinkink. Bibl. Pol. lib. 2. ax. 38. p. m. 262. Schuppius in Salomon. cap. 4. p. 37. & exempla sunt in Bibliis obvia lib. 2. Sam. c. 15. lib. 1. Reg. c. 1.*

(3) *1. Sam. 12.*

(4) *2. Reg. 4. & c. 8.*

(5) *1. Sam. 15.*

(6) *quæ? qualis? quanta? quarit Schuppius in Salom. c. 1. p. 14. & 37.*

(7) *ubi Legatos Dei & Regis simul stare posse in uno subjecto, ex Campanellâ & Histor. utile dicit.*

*alle Kranckheiten an schwangern Weibern regen / noch ihnen zu helfen sich unterstehen / damit sie nicht der Leibes = Frucht Schaden thun mögen.*

§. 17. *Quod MILITARIS ORDINIS studium modernum sit paucis Klockius indicat; student; inquit, cui nocent, cui vim & injuriam afferant, & quæ sunt planè officio suo adversa, ea exercent impunè sub pretextu militia: Horum licentiam & fiduciam graviter simul depingit & exaggerat laudatus Klockius: cæteris illatæ adversus cives injuria detestabiles admodum sunt: à milite verò si inferantur, scelerata, impia atque funesta sacrilegia sunt. Si inopes debilesque miles ipse despiciat, nec abis impugnantibus resistat, meritò proditoris nomen incurrit. Quis enim dubitat, quin proditor flagitiosus ille sit, qui rem custodia fideique sue commissam hostibus patefecit aut verius ipse disruptit. Milites ergo civium inopumque custodes, non solum officio, sed fide, sed sacramento, sed vi atque naturâ professionis, ad hoc unum agendum principaliter constituti noscuntur. Si ergo civium pauperumq; tutamen pratermittunt, quos potius ipsi sacrilego expilant conatu, summa procul dubio proditio existimanda est. Casp. Klock. Tr. de Contribut. cap. 17. n. 212. & seqq.*

§. 18. *In hanc itaque excessuum classem tutò collocamus quæstionem supra cap. 2. §. 9. motam de viatico militari extorquendo, von der Ritter, Zehrung. Siquidem Constitutiones Imperii id graviter animadvertunt, (1) neque Exemplum Davidis, tanquam diversissimum in patrociniū vocari potest. (2)*

§. 19. *In præcedenti capite §. 15. de Heimburgis & Scultetis statuimus, & hos posse suò modò ad Magistratus vel potestates numerari, quis enim horum est, qui non Dominus salutari gestiat, non minùs ac Procurator & Tabellio quivis & formula-*

D r i u s

(1) *Von Gardenden Knechten. vid. Zorganisch Aufschreiben Ao. 1583. Item Mandat. Elect. 1581. LandesOrdn. Ao. 1555. Tit. Einspannige. Item annex. Mand. Elect. eod. Ao. Reichs. Abschied de Ao. 1570. Item Kaysersl. PolicenOrdn. zu Franckfurt de Ao. 1577. Tit. 7.*

(2) *Reink. Bibl. Pol. l. 2. ax. 173.*

rius (1) nobili ac laudabili Advocacionis officio gloriam con-  
 serevit. Non equidem modos, quibus hi fiduciam Dominatio-  
 nis & potestatis exercere soleant, singulatim recensere mens  
 tempusque est; Multos tamen modos dico, si hoc unum ex prov-  
 dixerit, quod qui rusticum bene cupiat vexare, id ipsum per ali-  
 um rusticum fieri curare debeat. Quod Historia prioris seculi  
 in Rusticis seditionibus (2) satis testata est; Asperius puto nihil est.

CAPUT IV.

Continet remedia juris genera-  
 lia cum Contrariis.

§. 1.

Hæc, quæ in præcedentibus capitibus de FIDUCIA POTE-  
 STATUM VEL SUPERIORUM hinc inde sparsimus, qui  
 ἀπομαχῶς ferant, paucissimi, imò nulli ferè sunt. Quin po-  
 tius quisque contra tales ἀμαχῶς οὐκ οὐκ quærit indulta juris  
 remedia defensoria; quæ pro re natâ vel ingeneralia, vel specia-  
 lia distingvimus. De illis sequentia sunt.

§. 2. Cum magni ponderis sit Præsumptio pro Magistra-  
 tibus & Superioribus, ita, ut in summò Principis aliquid contra  
 jus concedente vel auferente, justam causam semper præsumi  
 statuunt Dd. (3). Hinc difficiles sunt Leges Legumque Doctores  
 in actionibus contra superiores concedendis (4) & quivis etiam  
 satis intelligit, quod si in privatis, multò magis in publicis inju-  
 riis à Magistratu illatis locum habeat illud: *Satius est ferre inju-  
 riam, quam inferre*. Item: *verecunda est cogitatio ejus, qui lites  
 execratur* (5). Ut propterea tam generalissimum, quam tutissi-

1) De Comparatione hæc videatur Klock. de Contr. c. 15. n. 83. ubi dicit  
 porro: *Formularius talis vocatur in jure municipali Wurtten-  
 bergico p. 1. tit. 17. Entenmeyer/von einem verrückten Auf-  
 wickler des Mahlens/welcher sich im Wurtten-Krieg gebrau-  
 chen lassen. Befold. in thes. pract. lit. A. n. 17. fol. 22.*

(2) Ao. 1725. Schleidan. Lauterbeck NB. p. 4. c. 18.

3) Klock. de Contrib. cap. 16. n. 38. ibiq. citati Auctores.

4) Eckold. Com. ff. T. de Injuriis. Carpz. Def. Eccl. 99.

5) L. Item si res ff. de alien. jud. m. c.

num remedium sit DEO causam vindictamque commendandi  
 precibus in Christianâ patientia: Id quod remedium non tan-  
 tum Theologi, sed & Politici & ipsi etiam Reges dixere effica-  
 cissimum. Supremus enim judex habet *ἐπιτροπὴν ὀμωα!*

§. 3. Tautum tamen abest, ut hic ceu remedium ordina-  
 rium & generale approbemus Appellationem ad supremum &  
 incorruptum judicem Jesum Christum, quam vulgò CITATIO-  
 NEM dicunt IN VALLEM JOSAPHAT, ut potius cum Theo-  
 logis improbemus. (1) Ubi tamen non possum non limitationem  
 & distinctionem inter causas civiles & criminales referre, quam  
 in quæstione proximè præcedenti valere tradunt JCi (2.) hor-  
 rendum Christi tribunal in Criminali causa contra Judicem vel  
 superiorem iniqum, & converti nescium, implorari posse con-  
 cedentes.

§. 5. Quæstionem itaque de Valle Josaphat relinquimus,  
 & quidem Exempla quæ hinc inde hanc in rem adducuntur plu-  
 rima historicæ discussioni imprimis, utpote memores, non ex-  
 emptis sed legibus esse judicandum & vivendum. Ad aliud ita-  
 que universale medicamentum progredimur, & id Lenitatem ac  
 mansuetudinem vocamus. Hæc quippe est multorum gravium-  
 que peccatorum & excessuum repagulum (3.) teste Ge ero &  
 quiescere facit multa peccata teste sacrâ paginâ (4.) Musitan-  
 dæ sunt injuriæ superiorum, & non nisi querela ἀπαρηγορητὴ  
 decenti submissione est iustitanda. Quid? quod & in super re-  
 medium DEPRECATIONIS, ut saluberrimum, & maximè ne-  
 cess-

(1.) Describente D. Job. Ern Gerhardo in Dissp. h. r. de ann. 1660.  
 ubi tres quæstiones tractat 1. an ita provocare sit licitum  
 salvâ conscientia? qui d provocato sit agendum per conscientiam,  
 & quid de illorum salute, tum qui ita provocantes, tum qui ita  
 provocati moriuntur sit statuendum? vid. Cordrejus in Dissp.  
 de ann. 1665. h. tit.

(2.) Richter in Reg. Jur. 2. §. 20. Martin. Rumelin. part. 2. diff.  
 ad A. B. Caroli IV. Imp. Dissert. 2. corol. 2. Wintherus JCrus  
 in Parthen. Litig. lib. 1. c. 1. n. 38. Camerar. Hor. succis. p. 3. c.  
 38. p. 130. Wolffius lect. memorab. & reconcl. Cent. 12. p. 331.  
 Adde Lipsium in Moncit. Pol. lib. 2. c. 11. p. 281.

(3.) Geier. in Comment. in Cobel. p. 369.

(4.) L. 2. ff. de his, qui sui sui l. alien. jur. in quam legem sic dicit  
 Schacher Colleg. Pract: Quid vorò sit justè deprecari, à ne-  
 mine explicatum vidi.

cessarium non disvadeamus, ita, ut offensionem superioris deprecemur, quod citra præjudicium licet facere. Cum diversissima sint deprecari offensionem & deprecari delicti veniam, sicut fore intolerabilem Dominorum injuriam servi justè deprecari dicuntur.

§. 6. Non itaque est remedium sed vitium & crimen, SEDITIO & Rebello &c. quod malum sicut tam plebi, quam eminentioribus commune & familiare esse solet (1.) ita est maxime periculosum, dum famam, vitam, & animam ipsam perimit. Cum enim sit violatio ordinis divinitus instituti & quietis publicæ perturbatio, quovis bello gravior, (3.) quippe in bello duces adhuc imperant: in seditione autem nemo neminem audit, juxta Poetam (4.) Ac veluti magnò in populo cum sæpè coorta est Seditio, sævitque animis ignobile vulgus. Jamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat; optimò meritò suo profligata dicitur perditæque spei, ut qui omni honestati repudium cum Clodio (dicente Cicerone) miserit curamque omnem salutis tam temporalis quam æternæ abjecerit, quisquis jura magistratus seditiosè involarit. De licita expulsionè & resistentiâ infra agetur.

§. 7. Ad metam hujus capitis nostri properantes repetimus & ex Geïcro vel potius ex Salomone (5.) piè non minus, quam prudenter & politicè monemus: *si spiritus dominantis ascenderit ad nos: te, locum tuum ne deserito* i. e. ne importunitè patiaris his turbis te dimoveri, à tranquillò virtuosæ mentis statu, ad patientiam, rebellionem, & convitia, sed discas modestam animi submissionem & mansuetudinem circa dissimulandos superiorum nævos, injuriarum ab iis illatarum oblivionem, patientiam circa ea, quæ emendari nequeunt, placidam innocentiam defensionem & quæ sunt alia mentis mansuetæ & sapientis exercitia.

- (1.) *Lauterbeck. R. 6. p. 4. c. 18. docet id multis exemplis, Lentuli, Cassii, Fulvii &c. Korab. Ubi & quatuor viros Lubecenses recusavit, & dixit: solche Viertel-Meister werden auch off mit dem Kade hingeticht / und zum Theil geviertelt / daburch sie dann allererst recht zu Viertel-Meistern gemacht werden.*
- (2.) *vid. Tit. C. de seditiosis &c. Carpz. l. 3. T. 12. R. 12.*
- (3.) *Ex Virgil. Lauterb. cit. loco.*
- (4.) *Comment. Geïcri in Cobeletb cap. 10. v. 4.*

CAPUT VII.  
*Notans remedia Juris  
Specialia,  
Ratione Fiduciæ Magistratûs  
competentia.*

§. 1.

**F**iduciâ potestatis nimium se exerente, & disfidis tot emergentibus, initio *verbis*, tum *herbis*, denique *lapidibus* utendum: vel, quod perinde est, primum preces, sollicitationes & amicales tractationes tentanda, tum juris remedia adhibenda & judicis auxilium implorandum; tandemque, si necessitas cogat, & postulet utilitas, arma defensiva suscipienda, Jure, quod literis divinis & humanis descriptum extat, & naturæ quoque impressum, atque cum ipsò hominum genere natum & proditum est, non repugnante, sed discutiente. (1.)

§. 2. De VERBIS, seu generalibus remediis proximè præcedenti capite aliquid dictum est; jam etiam de HERBIS; i. e. de remediis & viis se legitimè defendendi juraque competentia conservandi inquirendum paulisper & vigilandum.

a

§ 3. Du

- (1) *vid. Klock. Tr. de Contribut. cap. 18. n. 97. & 98. Mysing. Cent. 2. Obs. 43. Gail. 1. obs. 17. & lib. 2. de Pace publ. c. 3. n. 4.*

§. 3. Dubio procul est, magnam, imò summam auctoritatem & potestatem nemini afferre privilegium non-errandi, quid? quod potius ipsam imperandi naturam bonos mutandi mores imperantium vim habere supra c. 2. §. 2. non obscure adstruximus, quia admodum difficile est quibusdam, in magna licentia æquitatis & moderationis limites tenere. Itaque in summo Magistratu, tanquam fonte omnis dignitatis & magistratus, primò omnium nos occupatos esse addecer. Absit tamen per omnem prorsus modum, quòd Principes hodiernum vitiosos vel violentos quis dicat, quia quibusdam facile & insolens non fuerit, intra cancellòs & limites se continere. Nam quòd difficilius, eò & gloriosius: quòd penè unicè moventur Principes, gloriosissimam sibi in posteros memoriam peperisse studentes, licet ex veteri historia nullos vel paucos præiisse videant: hoc ipsum tamen gloriæ sibi ac laudi ducunt, quod primi & soli, vel eum paucis prægloriosum aggrediantur facinus.

§. 4. Quis enim aliter dicendo vel scribendo sacrilegiū non evaderet reus (1) & viceversa proscribendo Principem sentiret punientem, juxta illud, quod difficile sit contra illos scribere, qui possunt proscribere. Idque optimò suo meritò. Si quidem licet vel maximè humani: quid patiantur quoque Principes, sicut Luminaria illa magna cœlique Reginæ (2) suas interdum Heliptes; Admirandus tamen est splendor Principum, neque ita curiosis intentisque oculis defectus luminis cum offensione & jacturâ oculorum vitæque à subditis venit observandus (3) Veli etiam si legum contemptor esset Princeps, tamen Pater est (4)

§. 5. Sed & neque statim durus legumque contemptor videtur Princeps, qui in privatis quid duriusculi & non nihil à legibus devii admittit, quod tamen utilitate publicâ rependitur (5)

(1) L. 3. C. de crimin. sacril. vld. Limæus de J. P. Tom. 1. c. 13.  
 (2) Jerem. 7. v. 18. & cap. 44. v. 17. Genes. 1. v. 16. Ravanell. Biblioth. Sacra in voce Regina.  
 (3) Grossi de Præced. der Potent. p. m. 768.  
 (4) Novell. 12. c. 2.  
 (5) Tacitus lib. 24. Annal. c. 44.

Neque immanitas est, si ad supplicia dura & extremam miseriam vel servitutis lineam redigi videas homines naturâ quasi servos. Exemplo sit annosus ille rusticus in Livoniâ (1) qui ob delictum vel ex more in terram nudus projici, & plagis nimium dedolari & dilacerari vel ad intercessionem intuitu ætatis decrepitæ factam tantam poenam octo grossis redimere debebat, quam tamen gratiam rusticus rusticè sprevit, & abjectis vestibus in terram se prosternens dixit: Ich mag auff meine alte Tage nichts neues haben / und keine Veränderung einführen; Will mit der Straffe / welche meine Vorfahren außgestanden haben / auch zu Friebe seyn. O brutam Rusticorum Naturam! ò homine servitutem paratos, scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollit, tam projectæ servientium patientiæ tædebat. (2) ut verbis Tiberii utar ex Tacito.

§. 6. Manet itaque ea subditis ingenita erga Principes suos natura, ut nunquam ferè imperata facere recusent, nisi injusta imperetur, aut injuriis primum afficiantur. (3) Et ea est Principum erga subditos suos paterna affectio, ut aliorum pravis consiliis sapius, quam suis peccent, ut evidens est ex Roborami historia, qui Juniorum consiliis, per suasus oneris tributorum alleviationem recusavit, & hoc ipso mox regni schisma sibi, populoque excidium attulit. 1. Reg. 12. v. 19. (4) Sunt scilicet, qui non Principi, sed sibi consulunt, Exactionum, & Excoriationum Architectones, alieni, avidi, Harpages, elati quædam confidentiâ, protervi, insolentes, obrectatores, Sycophantæ & savisimæ in urbibus feræ, publicani & calumniatores, qui idem nempe sunt, quod Ursi & Leones in montibus, dicente Waremundo ab Ehren-

(1) Olearii Neue Oriental. Reise Beschreibung p. m. 94. ubi Rhythmos de his Rusticis in Livonia refert, qui sine gemitu legi non possunt: Ich ben en tiefländisch Bur / mein Leben wird mi sur G. vld. in Martin Daurath J. C. Tr. de Ratio nar. & jure subditorum.  
 (2) Tacitus Lib. 3. Annal.  
 (3) Verba Curtii citante Klockio.  
 (4) Sic de Britannis scribit Tacitus, citante eod.



Schrenberg Tr. de regn. subsid. ac oner. subdit : Horum fraudibus, captionibus & factionibus Principem mederi, obistere, illosque avertere & evertere prorsus, operæ pretium, nec ab exemplis tam sacrae quam profanae Historiæ exorbitans. Quis enim nescit, Hamanem ob elationem animi, largamq; Regiæ authoritatis fiduciam, & sycophantiam justè à Rege suspendio affectum ? (1) Ancræ etiam, illustris Status Gallici Ministri fortem miserè mutatam novimus; quippe qui ex tenui sorte ad honores evehctus, nescivit potentiæ concessæ modum servare, ob id adium omnium in se derivans, quæpe factum, ut bombardarum ictu prostratus caderet, qui superbè aliis insultaverat. Imò cadaver ejus patibulo affigebatur, per urbem rapiebatur, & hinc inde projectum in frustra dilacerabatur. (2) Vid. potest Franciscus Hoher Trauersicht part. 2. Hist. 41. Obiter notandum, quod Belisarius Justiniani Imperatoris Ministri, belli pacisque artibus excellentem, inserere hic non liceat, tum quia fabula est, & error scriptorum, ut agebauerus Exerc. Justin. 1. quæst. 6. p. 11. tum quia extra scopum nostrum; velut & Ancræ exemplum instantum duntaxat quadrat.

§. 7. Quibus proinde modis hæc vitari & vetari, averti avertique possint, brevibus dicemus, temporis, & illius proverbii: *manum de Tabula*: jam habentes rationem. Modus sive remedium, nimis fiducie magistratus & Prætextus Autoritatis illiciti avertendi erit licitum maximè & decantatissimum *Exauctoratio*, sive *Remotio*; siquidem de hoc remedio cantat *S. J. & Maria* in hymno suo: *deposuit potentes de sede & exaltavit humiles*. Deus (3) enim ipse rerum humanarum iudex vindexque iustissimus gaudet ima summis mutare & elatum deprimere; quo ipso vel Ethnici Jovis potentiam & justitiam hominibus conspicuam fieri agnovere. (4) Principes itaque principem exauctorationis

(1) Esai. 7.

(2) Grammond. l. XI. Hist. Gall. p. 320.

(3) Luc. l. 12. v. Sam. 2. 7.

(4) Homer. Iliad. foli 176.

vel

vel remotionis causam & Autorem Deum merito imitantur, venientes cum Mose, si duplicantur lateres.

§. 8. Sed an Clerici etiam possint removeri, si excedant fiduciam clericalis officii, dubitaverit forsitan, qui Pontificios de spiritualis foedere conjugii, quod quasi carnali conjugio vinculoque indissolubili simile sit (1) tam magna crepare legit: Licet quidem sponsa nomine salutetur Ecclesia in sacris. Salvatoris tamen sponsa tantum dicitur, quæ duo capita duosque sponso non habet, sunt itaque Clerici Ministri saltim sponsa & custodes. Imò adulteri sunt, qui præter Salvatorem conjugium tale afficiunt, quique ex ministris heros se efficiunt. Et si vel ipse fuerit Episcopus Ecclesiæ Romanæ. Sunt verba *Dn. Ziegleri* (2).

§. 9. Visus & exagitatis sic ineptiis Papalibus firmo statuto assertio nostra de Clericis removendis, ita tamen, ut serventur gradus admonitionum, (3) & pro minori, v. g. Translocatione (4) semper judicetur. Vocatur aliàs *depositio*, seu *degradatio*, ut est Titulustalis in Instit: Juris Canonici, & committitur Consistoriis in nostris Ecclesiis, ita ut neque Custodes, neque scholæ ministri removeri possint, nisi ex decreto Consistorii Ecclesiastici, præviâ accuratâ causæ cognitione. (5)

§. 10. Verbo ipsa hæc in rem Serenissimi Nomothetæ sic sonans: *da von wegen der Excessen die Straffe / soches den Synodis vorbracht und angezeigt wird / dagegen von dem Synodo als bald die gebühr / mit ferner Ermahnung zur besserung / Straffe des hierzu verordneten Carceris oder gänzlichet Weislaufung / nach gelegenheit und Gestalt des übertreters und Mißhandlung darmit*

3

der

(1) Instit. Juris, Can. d. Chorepiscopor. usq; sublata. S. ult.

(2) Dn. Casparis Ziegleri Nor. ad citat. locum Lancelotti.

(3) Churss. Kirchen Ordn. Tit. von Synods beyn Ober. Consist. fol. 179

(4) Translocationem non gratiosam intelligimus in h. k. Sed panofan.

Ille scilicet iustitiam, non veri Sacris, probabilis est & laudabilis.

Jam. citat. Ziegler. d. l. in Tit. de Translat. Carpz. Jurispr.

Consist. lib. 3. destm. ultim.

(5) Carpz. Jurispr. Eccles. l. 3. def. 109. & seqq.

der fürgewonnen/ und damit nicht verzogen werden soll Sec. (1)  
 In quibus tam poena Remotionis, quam Carceris, contra Clericos  
 satis stabilis, Circa quas poenas duas simul quaestiones tangimus,  
 an nimirum cingulo militiae caelestis exauthoratus clericus,  
 rursus ad officium promoveri possit; & an poena carceris perpetui  
 obtineat contra clericos? Utramque quaestionem affirmatus,  
 priorem ex Serenissimi expressa sanctione (2) elapso prius ad  
 minimum lustro aliquo: posteriorem vero ex Jure Canonico, quod  
 poenam perpetui immurandi, i. e. muris includendi, contra Jus  
 Civile (3) introduxit in favorem Clericorum. (4) Carcer  
 vero perpetuus supplicio capitali aequiparatur, cum exurba-  
 tus videatur ex numero viventium, cui in carcere est morien-  
 dum.

S. II. *Commissio, Adjunctio & Dismembratio*, non est ne-  
 gligendum remedium, praesertim in oppidulis & civitatibus qui-  
 busdam, ubi primus Collegii Senatorii tantum scit, quantum se-  
 quens, quod primo placet, senatus consulti habet vigorem, dum  
 sequentes prioribus annuunt, qui vel in anni quadrantem votum  
 suum undique conformativum anticipando concipiunt in qui-  
 busvis negotiis: καὶ φωνήεντα, nec si cordatior ex illis quid  
 percipit, dicere audeat, quia anginam patitur & arboris eonsangvi-  
 nitatis & Affinitatis umbram. e. Collegium senatorium, reveretur, aut  
 quia

- (1) Churf. Kirchen Ordn. cap. von des Synodi Amt fol. 182.
- (2) Resol. Gravam. 1661. Tit. Consist. Sachen S. 18 fol. 10.
- (3) L. 8. S. 9 ff. de poenis L. 6. C. eod. & L. 5. C. de custod. reor. ubi ad accelerandum carceratorum judicium & adversus carcerum diuturnitatem constitutus est Commentariensis, qui trigesimo quoque die iudici insinuet numerum, ordinem & aetatem in carceratorum. Vid. Dn. Ziegl. in Notis Lancellott. Instit. de de- pos. seu de grad. S. 4.
- (4) Citat. Dn. Zieglerus d. l. Menoch. de arbitr. jud. quaestio. 6. 89.

quia votum suum, instar pilei (1) nil valere dolet. Vel etiam ubi  
 Versiculi obtrident, quos de mala Republica fert Lauterbeck (2)  
 Qui latius, pistor, caupo, danistaque regnat,  
 Quae miseris illa civibus urbe salus?  
 Tam felix horum Respublica crescat oportet,  
 Quale quod esuriens curat ovile lupus.  
 Quosdam igitur, qui cum lupis hisce non ululandum sibi  
 putent, adjungat Princeps, si non profusus ex officio pastoris fu-  
 gare lupos, qui tempore fiunt pejores exemplo Menelai. i. Macca-  
 baor. cap. 4. v. 50. conducat.

S. 12. *Act* inutilis non minus, quam sumptuosa forte dixe-  
 ris haec remedia sic enim expressè dicit Kulandus. Via (3) Commissio-  
 nis est magis sumptuosa, quam fructuosa, ut propterea iocose dica-  
 tur Commissio quasi fomin / is / deinde Advocati adfunt, qui  
 jura litigantium proponunt & Auctores allegationesque in termi-  
 nis adducunt. Non dicam quod sic Vasallus in sua jurisdic-  
 tione turbari dicatur. (4) Verum enim vero non est mens no-  
 stra, quod abusus in alium abusum sic transferendus, & sic Fiducia  
 magistratus admittenda in extraordinariis magistratibus; neque  
 Advocati (5) remedii vim habent in Magistratibus ambitio-  
 sis

- (1) Senator quidam cordatior, injuriam spreto voce agere ferens abi- it ex curia pileo loco sui relicto: quae si pileus idem valeat quod Senator ratis. Titius in Loc. Histor. p. m. 158. ibi his verbis con- queritur: Es stehet mächtig übel/ und ist einer Stad aufrührer und Berberben/ wenn Leute ( die oft nur nach Günst oder Reichthum erwöhlet werden/ und immerdar einer den an- dern hinan scheube bis die Hunds Kette voll wird) im Rath- stuhl sitzen &c.
- (2) Referent Lauterbeck. Regent. B. par. 4. cap. 5. vid. & sup. Disp. no- str. S. 14. cap. 2.
- (3) Kuland part. 1. de Commiss. l. 2. Cap. 23. n. 1. Add. Erled. 2. Gebr. 1661 von Justiz. Sachen S. 39. S. 2. in verbis zu ver- schleiß der Sache kein gewöhnlicher Mittel als Commissioes.
- (4) Berl. p. 1. Dec. 60. n. 10.
- (5) L. si quis obrepserit ff. de L. Corn. de fals.

Et & licentiosus: Hi enim vel docti sunt & eruditi, & tum in-  
formare velle iudicem in jure & demonstrare ex Corpore Juris,  
Gloss. & interpretibus, quid de lite iudicandum sit, æquè ridiculum  
& inconueniens est, non secus, ac si ægrotus Medico curam præ-  
scribere vellet ex Galeno, Hippocrate & aliis. (1) Vel Magistra-  
tus sunt indocti & insidi, & nil iuræ Advocati remonstratio.  
*Nil coctus laxe iuratur; Quæ verba emblematis inscripta legere  
memini, ubi picta erat noctua gestans specilla & circumdata faci-  
bus, accensis.*

§. 13. Quocirca salutare in se est remedium Commissio,  
siquidem clara de hæc verba: die Aemter mit gnugsam qualifi-  
cirten Personen und also zu bestellen / damit es der vielen Com-  
missionen desto weniger bedürffe / Erl. Landtsgebr. 1612. Tit. von  
Justit. Sachen. §. 3. fol. 316. extant. It: damit auch die Universität  
und zugethane Membra in allen ihren fürfallenden angelegenen  
Sachen / Zwiespalten und Klagen / desto mehr Trost / Zuflucht /  
und Schutz haben / auch alle dem / so sich gefährlich / die ganze U-  
niversität / Privat. Personen / oder derselben Aemter betreffend  
ereignen möchte / in Zeiten und ehe es mit unwiederbringlichen /  
Schaden zu tief wurzle / Rath geschafft werde. So haben wir  
Commissarios &c. (2) Ad sunt expressæ sanctiones pœnales de Com-  
missariis & Adjunctorum officio, de directorio ordinarii &c.  
Chursf. Erledig. §. Gebr. 1661. Tit. von Justit. Sachen §. 42.  
fol. 34. Carpoz. p. 1. C. 1. def. 12. n. 5.

§. 14. Ceu remedium omnium præstantissimum & pri-  
mum commendamus merito *Magistratus sive potestatis cantam  
concessionem*, & non nisi in graviore integriorisq; faciendam. Ita-  
pensè siquidem curandum, ne potestas magistratus, tanquam  
vexandorum hominum licentia & concussionum Dominatio (3)  
indi-

(1) Autor disc. von Justitien-Werck p. 26. Carpz. p. 1. C. 1. def. 4. n. 6.

(2) Chursf. Verordn. bey der Unvers. cap. von unsern stetswähr.  
Commis. fol. 252. p. 2.

(3) Hæc phrasi utitur Klock. de Contrib. cap. 18. n. 294.

*indignis* (1) committatur, vel *indignis* & divitibus indignissimis.  
Valdè molestū hoc dicitur malum Sapientissimo Salomoni (2) quod  
vel illo seculo, imò ante ipsum communissimū erat quod jam verò  
temporis ad ultimam venit *ἀκμῆν* & summā maturitatē, unde hæc  
dere factas querelas publicas Serenissimus sic innuit: Weil  
auch viel Klagen einflommen / daß sich offers ungeschickte Per-  
sonen in Aempter eindringen / und zu dergleichen Verrich-  
tungen / derer sie nicht mächtig / bestellen lassen / daraus grosse  
inconuenientien erwachsen / in deme sie entweder in Proceß-  
und Justitien-Sachen gröblich verstoffen / oder doch den sel-  
ben nicht abhelffen können / sondern alles auff Berichte stellen/  
und sich manchmahl über geringschänigen Puncten Bescheide  
und Urtheil erhohlen / dadurch sie denn die Sachen verzö-  
gern / denen Partheyen vergebliche Unkosten verursachen /  
und Chur-Fürstl. Cancellen mit Berichten überhäuffen / (3)  
O malum itaque valdè molestum, & superioribus quoque, sive  
Patronis, ignominiosum (4.) scilicet multa bona impedit, &  
auffert, multa etiam incommoda invehit. (5.)

b

§. 15.

(1.) Jus Indigenatus *sepe vocandum* Jus indignatus, Weil man  
offt wahrhafftige Land-Kinder an statt Männer in Dienste  
bestimt. *Ulterius legessis Seckendorffs Teutschen Fürsten  
Stat part. 2. cap. 5. §. 8. ejusdemque Additiones pag. m. 112.*

(2.) *Ecclæs. Salom. 10. v. 5.*

(3.) *Erled. §. Gebr. 1661. Tit. Justit. Sachen §. 40. fol. 33.*

(4.) *Sic enim versio Lutheri habet: Unverstand / der unter den  
Gewaltigen gemein ist. Locutio est de dominatore Vel su-  
periore indignos evebente, qui errat, quando stulti ab eodem  
evecti delinqunt: Vel inferiore ad honores indignè evecto, à  
quò multiplicem prodire errorem non est mirum. Geier. in  
Comment. in Cöbel. cap. X. v. 5.*

(5.) *vid. §. 11. supra, ibi dictum, quod sui suesve plerumque tra-  
bantur ad honores.*

§. 15. Hæc aliaque plura remedia: velut multa, infamia &c. (1.) videntur utique magis publicum concernere interesse ratione imprimis futuri temporis, sed an interim patiatur justus & innocens? Competit omninò ratione privati interesse Actio, & læso cuique jura succurrunt. Sed absit, fortè dices, cum superiori & magistratu velle litigare; quid hoc aliud, quam flagellum (2.) flagello addi (3.) velle? Iniqui certè magistratus eò proniores ad jurgia gerunt animos, quò minus litis incommoda sentiunt in proprio marsupio, omnia ex ærario erogantes: sic autem privatorum fatigari, ex succum fieri & eviscerari acerbissimum erit. (4.)

§. 16. Verum non est, quod præter modum talia timeamus, quia nobis est res, cum magistratibus, qui ad instar privati alicujus subditi conveniuntur. Consequens huic utique erit, litis damna & condemnationem non pati fiscum, sed in ipsum excedentem magistratum omnia planè redundare. (5.) debere. Legitimus joris Processus itaque optimè potest institui ad impugnandum non minus, quàm se defendendum. Sicut autem innumeris fere modis se exerit fiducia Magistratus; Ita plura quoque remedia possunt adhiberi, quæ recensere otiosum est & o-

(1.) *Multa de proprio solvenda est à Magistratu* Carpz. l. 6. T. 9. Resp. 95. *Feudi privatio* Wesenbec. p. 7. *Conf.* 308. *Item. Insignium Chron.* Car. Philip. Mel. l. 2. in 2. *Mon.* Nempe si in dolo vel inexcusabili culpa deprehendantur, coercendi & ad exemplum, quò nocentis pœna etiam innocentium terror sit, puniendi atque ab officio removendi sunt, cum nota infamiae publicatione bonorum, vel pœna talionis, ut instar spongiarum humentium exprimantur, postquam assatim biberunt. *Klock.* *Contrib.* c. 18. n. 295.

(2.) *Ites ob infinita incommoda dicuntur à Ventur: de Valentini Parthen.* litig. l. 1. c. 4. n. 14. quartum Dei flagellum.

(3.) *Iniqui Magistratus sunt signum ira Divina & flagella.* *Esai.* 3. 12. *Luc.* 11.

(4.) *Valekenierdewirttes.* *Europa* p. 1. p. m. 32. ibi elegantià in hanc venit.

(5.) *arg. L. un. §. 2. ff. si quis jus dic. non obtem. L. civitas 27. ff. de rebus creditis.* *Hieron. Schurff.* cent. 1. *conf.* 40.

diolum. IPSE DISPICE, quam litem ingredi expediat, Liceat ferè loqui ex Lege (1.)

§. 17. Nobis cum Ulpiano (2.) eligenda videtur *Injuriarum Actio*: tum quia tanta famæ est dignitas, ut ejus jactura gravior sit vitâ bonorumque omnium amissione (3.) tum quia qualitas injuriæ talis id exposcit. Acerbior sanè est injuria, quæ vel ex cognato, unde amor sincerus; vel ex Collegis, unde innocua sperabatur amicitia: vel ex Magistratu, unde auxilium credebatur, proficiscitur. Societas civilis non bona solum inter cives distribuit, sed quemque certò quoque loco atque ordine collocat, id quod, ceu jus aliquod, cuivis ab aliis debetur, vel si violatur, rectè defenditur. Sic injuriarum actione jus præcedentiæ vindicari refertur, si in ejus possessione quis jam constitutus & aget contra prohibentem. Horrendum itaque tam malignum consilium in ipsum Magistratum cadere! quod Leges graviter animadvertunt, ut sunt (1.) *L. XII. tabb.* (2.) *Prætoris Edictum*, §. 7. *Inst. ht.* (3.) *L. Cornelia. de Injur.* §. 8. *J. h. t.* ad (4.) *Palinodia* & (5.) *Retorsio*, *Struvius Exerc.* 48. th. 60. (6.) *Constitutiones Imperii*, v. gr. *P. S. D. art.* 110. & (7.) *Imperii Principum*, v. gr. *Const. Elector. Saxon.* 43. & 44. part. 4.

§. 28. Neque est vulgaris injuria, sed atrox ob personam inferentem & patientem, præsertim si totum collegium sit (4.) juxta etiam ob locum, qui ut plurimum est Forû, curia & Aula Principis, coram multitudine (5.) si accedat scriptum vel scriptura, quoque sit injuria atrocior (6.) quo casursum libelli famosi magistratum fieri posse statuimus. (7.) licet nomen à magistratu

(1.) *L. 1. C. de edendo.*

(2.) *per leg. in Rubrica Disp. posit.*

(3.) *L. 10. in fine ff. de penis.* *Tiraquell. de Nobilit. cap. 20. n. 63.*

(4.) *per L. 34. ff. de Injur.*

(5.) *§. 9. J. h. t. & L. 7. §. 8. ff. h. t.*

(6.) *L. 5. §. 9. & seqq. ff. h. t.*

(7.) *De vera differentia ratione inter Injuriam scriptam & libellum fam. multum disceptatum vid. Struvius Syn. Jur. Civ. Ex. 48. th. 65. & seqq. Brunnemann. ad L. un. C. de Fam. li. bell. Wesenbec. Vol. 1. Conf. 22. n. 45. Treutl. vol. 2. D. 30. th. 5.*

expressatur & subscribatur, sive minus: Præjudicium habet  
Carpzovius à nobis alias dissentiens. (1.)

§. 19. Perrecturi itaque ad Judicium cum Actore hac  
Actione instructo, ante omnia de competente Judice videmus:  
& in præsentis Id modò, (de modis forum sortiendi aliundè sa-  
tis constat) quærimus: An reus in loco delicti, etiam si ab eo  
sit abiens, forum sortiatur? Affirmat Carpzovius (2.) sed re-  
stringendo ad crimina publica. Cum itaque injuriæ inter de-  
licta privata referantur, utique exceptione incompetentiæ tueri  
se poterit reus, actione injuriarum in loco delicti conventus, si  
nec domicilium ibi habeat, nec etiam ibidem deprehendatur,  
ita ut citatio ei possit insinuari. (3.) Quid si stipulatâ manu  
quis de sistendo se fidem dederit? An replicando de stipulatu  
& prorogatione quasi quædam jurisdictionis Exceptio incompe-  
tentiæ elidetur? Major securitas in cautione fidejussoria fuisse.

§. 20. Quid si quis ex Consilio Capollæ (4.) novum fo-  
rum constituat, militiæ nomen dando, vel Clericalem dig-  
nitatem accipiendo? Coram primò judice causam esse prose-  
quendam in jure (5.) fundata est sententia inque forò receptis-  
sima: teste Brunnemanno (6.) Moribus enim nostris, præven-  
tio judicis & pendentia litis unius ferè sunt rationis, ut rectè dis-  
catur per citationem executam non tantum præventionem, sed  
& litis prudentiam induci. Et interesse reipubl. concernit, no-

(1.) Carpz. Pr. Criminal. quest. 98. n. 34.

(2.) Carpz. Pr. Crimin. Part. 2. q. 110. n. 45.

(3.) Carpzov. Abbr. 2. T. 2. Resp. 26. ubi de Praxi testatur & reser-  
vat simul Berlich. p. 2. dec. 181. ubi & de duobus locis in inju-  
riis scriptis concurrentibus: nempe de loco receptionis litera-  
rum & descriptionis differit & pro illo decidit Vid. & Carpzov.  
Proc. T. 3. Ar. 2. §. 4. n. 58.

(4.) Barbol. Capolla libell. Causelarum Cautel. 9. p. 8.

(5.) Textus perspicuus L. si quis 7. ff. de judic. L. ubi coram 30. eod.  
Non obs. L. qui novol. 12. ff. si quis caut. L. 4. §. 5. ff. de remilitari  
L. 7. C. de Procur. L. C. milites locat. cond.

(6.) Brunnem. Consil. 106. per tot. Myns. Cent. 4. Obs. 26. Afflict.  
dec. 354. pag. m. 608. Franzk. ad tit. ff. de jud.

§. 21. De Actione recantatoriâ: Quæ: Num civilis, an crimina-  
lis sit: potest reive persecutoria? Quæquam non possit fama  
convitiis collutulari vel eripi (1.) ut vulgi est opinio: fundamen-  
tum quippe famæ est internum nobisque coherens: si tamen huic  
non tribuitur honor debitus, videtur damnum inferri, quod si-  
cut verbis accidit contrariis, ita & illis revocatis, & honoris  
debiti exhibitione rursus resarcitur. E. civilem eamque rei per-  
secutoriam meritò statuunt Dd. (2.) Controvertitur deinde,  
an ad palinodiam agendum contra clericum? Farinaeus (3.)  
Berlich. (4.) exemptionem à palinodiæ præstatione non ob-  
scure volunt: moti forsan scandalò, quod propter infamiam in-

rigor Disciplina spontaneas & non ex juris necessitate susce-  
ptas fori mutationes eludatur. Quid tunc, si is, qui fortè Con-  
sul regens & injuriam scriptam sigillo Civitatis roborans, omò  
solus cum paucis, quos in suam sententiam adduxit, Senatori-  
bus, Dux & Autor erat, officium resignet, an hic solus, ceu ve-  
rus privatus, conveniendus, an totum Collegium Senatorium?  
Licet quidem tot sunt delicta & iniuriæ, quot fuerunt calumnia-  
tores, ut statuunt in L. 34. ff. ht. quod scilicet quilibet sine alte-  
rius adminiculò delictum adimplere potuerit adeoq; plures con-  
currerint, non, ut junctis manibus opus singulis impossibile per-  
ficerent, sed ut injurias sive delicta accumularent. Tamen vix  
in singula senatus membra dividi Actio & Collegium distem-  
brari poterit: adversus totum Collegium singulosq; & uni-  
versos senatores tutius instituenda actio, ita, ut singuli & indi-  
vidua quædam, non suspecta, vel suspicione purgatâ, ex lite  
dimittantur. Utrum Clericus ad tribunal seculare vocandus?  
Ob ein Prediger seiner Strasspredigten halber vor weltlichen  
Gerichten zu antworten schuldig sey? vid. Dedeken. 1. Consil.  
p. 2. sect. 3. n. 6. seqq.

(1.) L. un. C. famos. libell. L. 3. C. Injur. Carpz. Pr. Crim. p. 4.  
p. 90.

(2.) Struv. Ex 46. eb. 60.

(3.) Farinaeus in Pr. Crim. p. 3. q. 105. n. 75.

(4.) Berlich. p. 5. Consil. 62. n. 21.

de sequitur (1.) quasi efficiat, ne sacra possit tractare. Verum si parum obstantibus Dd. alii affirmant, ita, ut clerico ad palinodiam condemnato re servari possit honoris existimatio (2.) Erubescimus quippe absque juris auctoritate à generali sanctione excipere clericos, quin potius in verbis generalibus illis: *Dass ein jeglicher / wer der auch sey* etc. (3.) eos comprehensos asserimus: cum expressum nominetur & id, quod generalibus verbis comprehenditur (4.) quam sententiam sequitur etiam Praxis, teste Carpz. (5.) Circa quod pro cautela notandum, facile declinandam palinodiam ignominiam, si ante litis Contestationem propria sponte clerici coram iudice profitentur, se nil de actore scire, quod sit contra boni viri officium (6.)

§. 24. Si autem cum tali Clerico vel alio Magistratu conversandi sit occasio, ita ut injuriatus & injurians casu quodam inopinato conveniant, vel etiam officii ratione sic exigente. An hoc casu Reo injurianti competat Exceptio *non competentis Actionis, vel Remissionis*? Sed injuriatus ex necessitate officii conversari cum injuriante vel ex charitate Christianam rancorem remittere potest & debet, salvam injuriarum actionem. Imò citra injuriarum remissionem prandere, canere & bibere possunt auf *Hoffrecht* / more aulico accipi solent pocula, h. e. citra præjudicium actionis & causæ injuriarum. *Sie trincken einander auf Hoffrecht zu / und nehmen den Trunck auf Hoffrecht an.* (7)

§. 25. Has inter quæstiones & hanc notamus. An si quis actionem injuriam conatus sit inferre, injuriarum Actio obtineat? *Utt-*

(1.) L. 5. §. si quis ff. de Injur. Li. ff. d. bis, qui not. infam.

(2.) Andr. Gail. lib. 1. obs. 65. n. 5. D. Moller ad Const. Elect. 42. n. 17. p. 4.

(3.) Constit. Elect. p. 4. C. 42.

(4.) Bartol. in L. Prætor ait. 20. §. 1. ff. de nov. oper. nunc. Hepping. Gaden. Conf. 4. n. 10.

(5.) Carpz. Prax. Crim. part. 2. q. 96. n. 20.

(6.) Ordin. Provinc. de Ao. 1549. Tit. von Schmahé Sachen §. wird sich auch. &c. vid. Carpz. p. 2. q. 97. n. 15. & seqq. cit. loc.

(7.) Damboud. in Pr. Crim. Tit. 130. de Inju. cit. fin.

Utilis certe competit Actio (1) *De conatu* itaque reus excipere non potest, neque de *beneficio declarationis* quippe saltem competente in levioribus & ambiguis, non autem per se in juriosis verbis & actionibus (2) de quibus jam sermo est. Neque quod non habuerit *animum injuriandi*, nisi ab initio statim litis sic opponatur, & præsumptione aliquâ firmeretur innocentia, quo casu purgatorium admittitur L. 5. C. ht. Struv. th. 54. Carpz. lib. 2. Resp. 66. & p. 4. C. 42. d. 9. Ordin. Proc. judic. Tit. 19. De lapsu agendi tempore autem, sive *prescriptione* bene excipi potest, si quidem unicus tantum annus durat Actio non tantum in injuriis verbalibus, sed & scriptis per Constitut. Electoralem (3) ibi: *die andern Schriftl. injurien sollen den wörtlich gleich durch verfassung eines Jahrs præscribiren seyn / sive civiliter, sive criminaliter agatur* (4) De augmento sex septimanarum & dierum in materia nostra odiosa, quæ potius restringenda, quam augenda & extendenda, non est, quod moneamus, ut pote satis quod constat.

§. 26. Ut itaque famæ & existimationi suæ consulat Actor, & Reus temeritatis & malitiæ poenas det, alii quoque inde absterriti capiant exemplum, libellus est conficiendus, de cujus formulis Schacherus aliisque passim. Quod brevitate studio nos referimus & ageremur jam onus probandi, probatio enim est de mediis causæ. (5) nec sufficit dicere & accusare, sed probandum est, reusque convincendus. Ubi Qv. An juramentum deferri possit? In hac quippe causâ, quæ æquiparatur capitali (6) dubitaverit quis, Nû concedendum, ut vii honestus omnino vel jurare, vel famæ periculum subire cogatur? Admittenda tamen est delatio.

(1) v. L. 7. §. 7. & L. 15. §. 1. h. t. Treutl. v. 2. d. 30. th. 5. D.

(2) Carpz. pr. Crimi quæst. 97. n. 14. & p. 4. C. 47. d. 11.

(3) Constit. Elect. p. 4. C. 46. §. ult.

(4) Mynsing. Cent. 5. O. 7. 52. Carpz. ad d. Const. Elect. def. 1. & def. 3.

(5) Carpz. p. 1. C. 26. d. 6.

(6) L. Injusta causa. §. ff. manum. vind. L. Isti quid. §. 8. S. pen. ff. quod metus causa.

latio juramenti juxta Ulpianum (1) sed tantum in causis civiliter intentatis, secus si criminaliter. (2)

§. 27. De Judice quid annexere lubet, ordine sic jubente. Nam huic fit probatio, & ejus officium est, amicabilem compositionem tentare vel judicare & sententiam ferre. Quomodo itaque condemnaturus est militem, quem supra mutato foris emanentem & contumacem proposuimus ex Brunnemanno. Mirum Reus cogatur palinodiam canere & sua manu injuriosam scripta delere, quod si non compareat & in contumaciam condemnatus sit, poterit condemnatio publicis in locis significari per scripturam in formam patenti, & verba injuriosa per Notarium judicii deleri. (3) Quid faciet iudex reo injurianti, qui non est solvendo: an mutabit poenam civilem in criminalem? Affirmat Schneidew. (4) qui enim non habet in aere, luet in corpore, (5) & cui non suppetit pecunia, ei sit tergum subsidiarium praebendum: quod tamen in vilibus personis duntaxat fieri debet, non in honoratioribus.

§. 28. A parte tamen rei hunc effectum tribuunt, quod sic condemnatus in injuriis atrocioribus fiat infamis (6) recessando autem honorem in sententia, (7) vel interveniente procuratore in causis civilibus (8) infamia evitatur. Item, qui auctoritate iudicis, gratis absque pretio super injuriis transigit, non videtur crimen paciscendo confiteri, neque infamiae notam incurere. (9)

(1) L. lex Corn. 5. §. hanc lege 8. ff. h. l.

(2) Carpz. l. 3. Resp. 44. Coler p. 1. dec. 141. n. 13. Berlich, p. 1. Concl. 29. n. 4.

(3) Brunnem. Consil. 106. n. ult.

(4) Schneidew. ad h. t. §. 7. f.

(5) L. 35. ff. de L. 1. in fin. ff. de poenis L. f. ff. d. in jus voc.

(6) L. 1. L. 4. §. ult. ff. d. his qui not. in fam. L. 7. ff. publicis judic. L. 10. §. 18. C. ex quibus caus.

(7) Wesembec. ff. n. 18. hl.

(8) L. 6. §. 2. ff. de his qui not. inf. L. ult. C. de infam. L. fin. ff. de furt. L. ult. ff. de privat. del.

(9) §. 2. Inst. de poen. tem. lit. L. 4. §. ult. d. his qui not. inf. Harprecht. ad §. 10. f. d. injur. Gail. 2. obs. 102. n. 6. Carpz. q. 94. n. 7.

CAPUT VI.

Continuat effectus, & remedia tangit violentiora.

§. 1.

Superius ex Klockio monitum, quod vel VERBIS, vel HERBIS, vel LAPIDIBUS sit utendum c. 5. dictumque jam est satis pro temporis ratione de VERBIS & HERBIS. Paucula itaque & de LAPIDIBUS lubet annexere. Ne autem non ab-similes chymistis evadamus, qui laboriosè quaerunt LAPIDEM, donec omnia DILAPIDAVERINT (1) dum quaerendo LAPIDES contra superiores & se & opes contrivisse eventumque tristissimum reperisse quam plurimos legimus; Accuratè sine temeritate & absque periculo vel culpa criminis, cum viris tranquillitatis publicae studiosissimis calculum ubique ponamus.

§. 2. Qui nimirum legem Dei del societate colenda agnoscunt: illi parendi & imperandi ordini se subijci debere statuunt inrefragabiliter. Componendos itaque omnes actus nostros ad voluntatem imperantis, naturali juri aut divinis praecipis non contrariam (2) dicimus, quamcunque Principis obligationem cum subditis imperfectam scientes. (3) Ita ut nullum vindicandi jus privatis in societatem civilem coalescentibus reliquum sit, ne imperium ad ἀναρχίαν divertatur. (4) fit atque civitas dissociata multitudo. Quid autem solatii imperitum iis, quia a Principe se eviscerari, durissimè premi bonisque ac fortunis exui innocenter quaeruntur? Nihil his adversus Principem esse remedii, praeter lachrymas & preces ad Deum (5) nullamque, praeter FUGAM, De-

(1) Carpz. p. 1. C. 1. d. 9. n. 4.

(2) Grotius d. f. B. & P. 1. c. 4.

(3) Baeclerus Comm. ad c. 3. §. 7. l. 1. Hug. Grot. d. f. B. & P. Nefas est imperium tenentes redigi in ordinem à populo Vid. Buchn. in Diss. quid Brit. Rex loqui potuerit. Quorsum spectat, quod Hahn ad Wesemb. d. Const. Pr. n. 2. p. 152. monet, efficacem obligationem de jure Civ. quoad actum secundum contra Principem non nasci.

(4) Paul. Laymann. Theol. Moral. L. 5. Tr. 3. disp. 6.

(5) Klock. de Contribut. cap. 18. n. 368. vid. Pacif. Osnabr. art. 5. §. 12. & 13.

ensionem affirmant pene non omnes : cogitantes, jugum à Deo impositum excutere non licere (1) neque Decreta Principis, modò non palam improba, improbanda. (2) Supremi Judicis correctio, quæ injurias non finit esse perpetuas, suspiriis & lacrymis sollicitanda, juxta & supplici prece mitigatio à Principe petenda : quò de & actum à nobis supr. cap. 4. hujus Dissert. nostræ.

§. 3. Sed an reprehensionem incurrit formula illa con-  
querentium trita : Ich will es Gott befehlen / der wird es wohl  
richten? Haut dubitamus licitâ asserere, modò intra limites maneat, nec abeat in provocationem in Vallem Josaphat, de qua itidem supra cap. 4. §. 3. Vid. Adamus Cortrejus Disp. h. t. de anno 1665. qui cap. 3. n. 9. hæc de re sic exclamat : Quid est classicum canere super imperiorum judicio malè constitutò, si hoc non est! Hoc enim magistratus autoritatem cum scandalo proculcat, subditorum animos adversus jus dicentes excitat, & communem tranquillitatem turbat. Hoc in casu Lex charitatis non obstringit ad id, quod jure Naturæ justum est, sed potius exigit prudenter, quàm justè agere. (3)

§. 4. Convenire itaque subditis, excessivam majestatis usurpationem tolerare, excessusque Majestaticos divinitus indultos deprecari, & tandem magis scuto, quàm gladio (4) uti, ex præmissis patebit utique. Quis itaque resistere sibi animum inducat? Quamvis justa occasio resistendi manifesta tyrannidi quoad

(1) E. l. C. serv. fugit. Nov. 82. c. 4. Bodin. l. 2. de Rep. c. 5. n. 212.

(2) Nov. 105. c. 2. Lips. l. 1. polit. Waremundus ab Ehrenberg. f. Eberh. à Weyhe. de Regn. subd. c. 11.

(3) liceat asserere ex Gratia l. 2. de J. Bet. P. c. 1. §. 9. Lex Naturæ quatenus legem significat, AIT, non ea tantùm respicit, quæ dicitur Justitia, quam expletricem diximus, sed aliarum quoque virtutum temperantia, fortitudinis, prudentia actus in se continet, utpotè incertis circumstantiis non honestos tantùm, sed & debitos.

(4) Liv. lib. 3. Ob hunc appellandi modum punitos refert. cum præjudicio, Richterius Cam. ad R. J. 2. n. 10. p. 21. & 22. Lauterb. Diegent. Buch. part. 5. c. 4.

doque in sinum quasi civibus labatur, meditandam tamen subinde, atque pro re natâ sequendam esse hominis Eibnici sententiam; ornnia prius experiri consilio. sapientem, quàm armis decet? Dicente Klockio (1) Interim regulâ de non resistendo, casus summi discriminis & diræ necessitatis excipit, qui æstimandi non ex quibusdam actionibus, quibus subditi quidam premuntur à Principe, sed ex totò Regiminis instituto formâque. (2)

§. 5. Inferioris magistratus potestas, de quâ quæstio in præsentî Dissert. potissimum est, etiam Deum habet. Autorem non principaliter, sed secundariò mediante Principis delegatione, quocirca inviolabilitatem quandam secundum dignitatis prærogativam Brunnem. Conf. 105. n. 15. tribuamus & huic necesse est. (3) Ut tamen pertinaciæ illiciti furoris judicis resistendi facultas expressè permittatur. (4) Executoris quoque temeritas (5) & Officialis de factò exequens, & Apparitor per injuriam quid faciens repelli & domo de factò expelli possint injuria autem non est inferenda, ne magistratus Autoritas læsa videatur (6) Hic abrumpere solum tempus monet, & ferias Natalis Domini instantes, juxta & res Domesticæ, aliæque negotia, à quibus longius abesse non licet, festinationem exigunt summam. Huic quæso B. L., quæ non satis accuratè & elaboratè prolata apparent, ascribas veniamque impertiare.

Deus, cui pro Assistentia grates devotissimas ago, anni hujus restans spatium exiguum feliciter sinat decurrere, ut sit ejus & omnium actionum nostrarum exoptatissimus

FINIS!

(1) Klock. de Contrib. cap. 18. n. 345.

(2) De seditionum procellis, vidè rebellè multa differit & exemplificat. cit. Klock. quem videsis.

(3) L. qui in jus 177. ff. d. R. J.

(4) L. 33. C. decur. & ff. eor. lib. 10.

(5) L. contra. s. C. d. Exec. & Ex act. libr. 12. L. prohib. C. de Jure Fisci lib. 10.

(6) Anton. Faber. in Cod. dec. for. lib. 2. def. 9. Sigism. Scaccia lib. 1. de Judic. caus. civ. III. c. 46. & Klock. de Contrib. cap. 18. n. 51.



## DECAS COROLLARIORUM.

I.

**M**atrimonium cum defunctæ uxoris neptem mit seiner verstorbenen Frauen Schwester Tochter Kind / dispensabile videtur.

II. Supinè dicitur: Principes Protestantés sustinere duplicem personam, unam Episcopi, alteram Principis.

III. Bohemiæ Rex non demum jus eligendi Imperatorem per A. B. accepit.

IV. Investitura solennis, jus in re, non autem possessionem simul tribuit Vasallo.

V. Decretum vel statutum Venetorum inhabilitans Laicum tam activè, quam passivè, ne quid transferat rei immobilis in Ecclesiam vel Clericos, neque quid ab iis accipiat, justum & summâ cum ratione promulgatum rectè dixit Othelius in Goldasti Monarch. S. R. Imp. Tom. 3, fol. 348.

VI. Legatum Pontificio sub conditione religionis Lutheranae amplectendæ relictum etiam non impletâ conditione peti potest.

VII. Testamentum ad pias causas propriâ manu scriptum & subscriptum valet, etiam si nulli testes fuerint adhibiti.

VIII. De Jure Romano legitima quovis Titulo liberis relinqui potest.

IX. Licet renunciare foro competenti.

X. An tutò cum Farinacio Prax. Crimin. lib. I. T. 4. quæst. 30. affirmandum & consulendum; quasi fugiensex carcere injustò non teneatur ad pœnam conventionalem, nec ipse, nec fidejussor; neque teneatur redire, etiam quòd redire promiserit & juraverit?